Viro Nobilissimo
Clarissimo Excellen
tissimoque Dn. IOANNI
TONSKI. D.I.V. Me
dico et Mathemati
co in Academia Cra
coviensi Celeberrimo
Professori
Dn. fautori et
amico suo plurimum
honorando offert
Autor.

De CONFECTIONE ALCHERMES,

Deq́; ejus compoſitione, ſingulorum ingredientium examine, qualitate, virtute atq́; facultatibus per undeviginti capita

Diſſertatio & Exercitatio Medica.

Autore
LAURENTIO EICHSTADIO,
Medicinæ Doctore.

Curæ ſecundæ.

DANTISCI

Apud ANDREAM HÜNEFELDT.
An. M. DC. XLII.

ILLUSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO DOMINO

DN. IOHANNI OXENSTIERNA, S. R.

Majestatis & Laudatissimi Regni Sueciæ Consiliario eminentissimo, Libero Baroni in Kymitho, Domino in Horningsholm & Tulgarn &c. Extraordinario ad generales Pacificationis tractatus per Germaniam Legato, Domino suo gratiosissimo,

Dissertationem hanc Medicam Boni auspicij, debiti honoris, decentisq; reverentiæ ergò

Humili ac submisso animo nuncupat, atq; simul salutem, felicitatem, nec non incolumitatem perpetuam precatur

cliens devotus

Laurentius Eichstadius Med. Doct.

In

Confectionem ALCHERMES
Eichstadianam,

NIl tibi LAURENTI Vir præstantissime (desit:
Experientiam habes,& Ratione vales.
Immò scientiam habes, pleno est tibi co-(pia cornu,
Quicquid supremus Mundus, & imus (habet.
Nîl, inquam, quàm magna tibi heîc Aca-(demia desit,
Quam doceas Artes tot resonare tuas.
Edita id Alchermes tua contestatur abun-
Quā confecisti non sine laude tuâ. (dè,
Næ bonus interpres Naturæ, atq; optim⁹ (Hermes
Sedulus ingenio, strenuus officio es.
Perge bonis avibus vires Natura resumet,
Et sumet vires te Duce Hygeîa novas.

Ultrò
Lubens *fac. & sc.*
Merito.

D. Cramerus D.

Dissertatio Medica de Confectione Alchermes.

Caput I.

De Origine ac diversis compositionibus confectionis Alchermes.

IOHANNES MESUÆ filius, qui genus suum in Abdelam Regem Damasci (quæ urbs hodiè à Turcis Scham, vel, ut alii volunt, Siam vocatur) refert, clarissimus olim Medicus in Oriente ante quinq; ferè secula, egregiam medicinā cor vitalesq; partes perquàm roborantem *in suo de simplicibus libello & Grabadin h. e. Antidotario* describit, quam *in capite de lapide stellato vel cyaneo* à se inventam esse scribit. Quemadmodum enim is Medicus aliàs Evangelista ac Coryphæus omnium, qui argumentum rei medicamentariæ tractârunt habetur, eo quod sua medicamenta subtiliter dividat, aptè digerat, prudenter ordinet & eleganter componat: Jtà quoq; hoc ipsum in compositione confectionis Alchermes inprimis præstitisse certum est, dum nobilissima remedia è triplici naturæ regno ad conservandam sanitatem, calorem nativum excitandum, variaq;

riaq; morborū agmina profliganda desumsit, magno judicio selegit, eaq; in convenientem laudabilis Confectionis formam redigenda perspicuè monstravit. Jta enim dicto loco eam describit;

Confectio lapidis lazuli ex inventione nostra hæc est.

Accipe serici succo granorum chermes tincti libram 1. macera hæc in succi pomorum dulcium & aquæ rosarum ana lib 1 per diem, & fac modicè ebullire, donec liquores isti rubescant, quos, expresso & abjecto serico cū sacchari tabarzeth drachmis 150 coque ad mellis spissitudinem. Ab igne depositis & adhuc calentibus admisce ambræ crudæ frustillatim concisæ drach. 6 quâ liquata ambrâ injice pulveris ligni aloes & cinnamomi ana drach. 4 lapidis lazuli loti & præparati dra. 12 margaritar. drach. 2 Auri boni scrup. 4 confice cum prædictis.

In Antidotario suo hic exoticus Medicus scientia & experientiâ probatissimus doses ingredientium nonnullorū diminuit: nam tantum lapidis lazuli drach. 2 ambræ crudæ drach: 4 assumit & moschi laudatissimi scrup. 1 superaddit, vocatq; Electuarium

exgra-

ex granis tinctorijs, quæ & grana Chermes dicuntur. Hanc compositionem posteriorem Medici Augustani & alij retinent, propterea quod priorem ad evacuandũ simul melancholicum humorem, posteriorẽ verò ad robur membris principalibus conciliandum unicè accommodaverit. Quanquam autem inter Electuarium & Confectionem differentia ejusmodi constitui solet, ut Electuarium vel cum saccharo vel cũ melle vel cum utroq; possit una confici; confectio nisi cum saccharo non possit; Et Confectio proprie Electuariũ solidum, Electuarium contrà mollem compositionẽ denotet: tamen ab Arabibus & Mesue utplurimũ promiscuè usurpantur, ita ut hæc compositio modò nomine Electuarij, modò nomine Confectionis appelletur. Proinde & nos ijsdem appellationibus hanc compositionẽ notabimus, præsertim quum in liquida magis quam solida forma, sine melle tamen, parari soleat.

Hanc quoq; Confectionem posteà *Nicolaus Myrepsius*, recentissimus inter Medicos Græcos à Mesue mutuatus est, in suum Dispensatorium (ut vocatur) transtulit, atq; eam *sect.* I *de Antidotis cap.* CXI ita descripsit:

Antidotus è lapide radiante habet lapidis la-

zuli unc. 1 ambaris crudi unc. semis ligni aloes, cinnamomi crudi, cinnamomi tenuissimi singul. drach. ʒ moschi exagium 1 (quod pondus à drachma nihil differre videtur) margarit. exagi 2. Auri puri exag. 1 serici recenter è grano ilicis tincti sesquilib. Sericum cum succo malorum dulcium & stillatitio rosarum liquore, quo ad rubrum fiat, decoque. Dein exemto serico ambar & cum eo alias species injice. Ex qua Myrepsi descriptione patet, eum quidem ab inventore Confectionis Alchermes in dosi discedere & sacchari quantitatē Pharmacopœi arbitrio relinquere; at in reliquis nihil immutare. Nec verò Collegium Medicum Montis Pessuli in eo non est laudandum, quod hanc compositionem Mesuæ pro Christianissimo Rege Galliæ parari, atq; in publicis Pharmacopolijs utiliter cōservari curaverit: Nam conservatione hujus egregiæ compositionis & communicatione cum Germanis præclare rei medicæ ac publico commodo consultum ivit, melioremq; eam dosin ligni aloes & cinnamomi ad unciam semis adaugendo reddidit.

Hoc enim planum fecit suo testimonio insignis Medicus D. IOHANN. STEPHANUS STROBELBERGERUS *in suo tractatu medico novo de Confectione Alchermes*, quando adhuc hodie à M. LAURENT. CATELANO, primario

mario apud Monſpelienſes Pharmacopœo, ad ſequentem modum adminiſtrari eam ſcribit: *Recipe ſucci pomorum dulcium & aquæ roſarum (in quibus ſerici libra 1 fuit per diem naturalem infuſa & expreſſa) ana ſeſqui libram, ſucci granorum chermes libram 1. ſacchari ſolidi lib. 2. coque ad mellis ſpiſſitudinem: remoto ab igne etiamnum calenti adde ambræ crudæ & minutim conciſæ drach. 1. ſine, ut liqueſcat, deindè admiſce ſequentia pulverata, ligni aloes vel ſantali citrini, cinnamomi electi ana drach. 6. lapidis lazuli uſti & præparati, margarit. albarum ana drach. 2 auri boni, moſchi ana drach. 1. confice ſecundum artem.* Hæc præparatio Confectionis Alchermes Monſpelienſis parum abeſt à deſcriptione Meſuæ a Electuarij ex granis tinctorijs: quippè omnia ſimplicia retinet, in doſi aliquantulum duntaxat variat. Inventi quoq; ſunt poſteà nonnulli Medici, qui hanc confectionem Alchermes pluribus ingredientibus amplârunt. Etenim *Noſtradamus in peculiari tractatu* præter ſimplicia ante nominata in hoc medicamentum etiam addidit cõſervas, condita, lapides quinq; pretioſos, bezoar, raſuram eboris, oſſa de corde cervi, ſpecies aliquot & aquam Carduibenedicti hanc compoſitionem Auguſtani Medici ſuæ quoq; Pharmacopœiæ ſub titulo *Ele-*

ctuarij Alchermes Nostradami inseruerunt.

Quin & *Herculi Saxoniæ* in Patavina olim Academia Medicinæ Practicæ Professori, duplicem Confectionē Alchermes in cordis palpitatione & alijs ejusdem affectibus tam à causa calida, quam frigida ortis in usu fuisse *D. Philippus Mullerus in suis mysterijs Chymico-medicis pag.* 142 *& seq.* testatur, ejusq; descriptionem isthic producit, unde excerpi potest. Quandoquidē omnes compositiones hîc afferre non est instituti mei. Potiores ideò saltem præmittere volui, ut constaret, quomodò nostra Confectio Alchermes ab ijs esset mutuata & in excellentiorem efficacioremq;, ut spero, formam Chymiæ adminiculo traducta, quam in sequenti Capite subjiciam.

CAPUT II.

De formula Confectionis Alchermes liquida & solida apud nos parari cœpta.

ETsi medicina jam antiquitùs extiterit, viaq; adaperta sit, per quam inventa & multa & rectè sese habentia explorata sunt: tamen eidem ad hæc usq; tempora nostra duranti alia plura melioraq; successerunt, et si quis idoneus, jamq; inventorum gnarus ex his ad recti⁹ perquirendum singula pro-

procedere poteſt: id quod commemoratione multorum ſimplicium & aliquot exemplorum, niſi hoc alienũ inſtituto meo eſſet, comprobare poſſem. Qui dubitat hac de re, illum jubeo conſulere *librum noviter inventorũ Guidonis Pancirolli*, undè non pauca capiet documenta. Proinde non eſt mirum, id medicinæ quoq; uſu venire, quod & de aliis profeſſionibus humanis affirmat Comicus inquiens. *Nunquam ita quiſquam penè ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, uſus ſemper aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut illa quæ te ſcire credas, neſcias, & quæ tibi putâris prima in experiundo, repudies. Terent: in Adelph: Act. 5. ſcen. 4.* Quum igitur poſterioribus & ultimis his ſeculis, valdè deficiente naturâ humanâ, ad medicinam antiquam in ornamentum operis acceſſerit Chymia, ideoq; exiſtimat *D. Libavius lib. 1 Alchym. cap. 1* non ſine ſingulari divina gratia factum, quod illa ſubjectam medicinæ materiam ex vegetabilibus, animalibus & mineralibus deſumtam per ſuas Eſſentias, Spiritus, Extracta, Magiſteria &c. perficiat. Hinc diverſi Medici operâ Artis Spagyricæ veterum compoſitiones ornare, amplificare, earumq́; virtutem intendere niſi ſunt, nihilq́; non operis ac laboris eò tendentis ſuſceperunt. Inde *Joſ. Quer-*

cetanus in sua Pharmacop. dogmat. restituta pag. 623 *in edit. Lipsiensi A. C.* 1613. Theriacam quandã in cœlestem & sublimiorem redactam Essentiam describit, & adversùs omnis generis febres malignas & venena tanquam eximium antidotum, commendat. Inde *& Libavius in Alchymia Pharmaceutica pag:* 221 *& seq.* proponit Confectionem Alkermes, quam pluribus extractis ex speciebus diambræ, diatrionsant: essent. terræ sigillat. Cranij humani, cordis & ossis cervini, epatum & cordium viperæ, seminis Citri, sem. Carduibenedicti, magisterijs lapidũ pretiosorum, magister. bezoar orientalis camphoræ, nec nõ oleis stillatitijs corticum & seminum Citri, macis &c. auxit, eamq; cæteris omnibus in roborando corde reparandisq; Viribus prætulit. Horũ exemplis & ego captus cœpi de meliori præparatione hujus Confectionis cogitare, quam sperabam me impetraturum, si eandem non tantum in forma liquida, sed & solida nõ minus efficaci obtinerem, subtiliori formâ, pluribusq; cordialibus, at selectis, & in magisteriũ redactis instruerem, atq; debitâ proportione ita miscerem, ut temperatum in agendo calorem, corporibusq; nostris convenientem colorem gratumq; saporem ne conturbarent. Quod

quum

quum aliquoties aggressus essem, neq; primâ vice res ex voto succederet, solicitiùs methodo artis institi, donec me optatam Confectionem Alchermes consecutũ nullus dubitarem. Hanc compositionem cum Pharmacopœorum nostrorum uno Pharmaceuticis ac Chymicis laboribus innutrito probèq; subacto ante decennium communicavi, qui fideliter eandẽ aliquoties paravit & publicè in Consessu reliquorum Dominorum Medicorũ dispensavit. Mecũ quoq; eâdem alij Clarissimi Medici exteri (quorũ judicia & censuras requisiverã) usi & dignati sũt inexpectatis eulogijs, quæ huic Dissertationi præmittere volui. Cæterũ in duplici forma eadem Confectio prostat, nimirùm in humida & sicca. In humida forma sequenti modo parata est. Primũ aggredi necesse est Compositionem Syrupi, qui recipit sericum crudum, grana tinctoris, succum pomorum, aquam rosarum & saccharũ, prout is in Mesue, Dispensatorio Bergomensi, Pharmacopœia Augustana & alijs nonnullis libellis medicamentarijs descriptus extat, & breviter ita sese habet: Sericum rufum & crudũ cùm folliculis optimè ante purgatum, & in minimas partes dissectum ad libram semis accipitur & ad ulteriorem usum asservatur:

Postea cocci seu granorum tinctoris probatissimorum & recentissimorum sesquiuncia vel duæ unciæ macerantur in aqua fontana vel stillatitia ex borragine aut melissa, quæ quatuor digitorum mensuram exuperet, & cum granis detineatur in loco calido tantisper, donec color & vis cocci in aquam abijt. Huic aquæ injice sericum crudum antè mundatum & asservatum, digere in loco calido, ut rubicundum granorum colorem probè imbibat, quod ferè bidui fit spatio. Extrahe tunc sericum & triduo in loco umbroso non ad solem exicca. Porrò siccatum sericum & rubedine cocci abundè tinctum ad unam unciam vel circiter maceretur in succi pomorum dulcium per unum & alterum diem in vase vitreo purificati & subsidendo à fæculenta materia depurgati nec non aquæ rosarum fragrantis calefactæ libra una & dimidia detineantur in instrumẽto lapideo vel vitreo 24 horis, donec juxta locum calidum, dum succus & aqua granorum Chermes colorem extraxerit: quo enim magis hic liquor colore & virtute granorum fuerit saturatus, eò præstantior evadet: Dehinc exprimatur & expressus liquor cum sacchari albissimi libra una & dimidia sensim ad syrupi crassitiem percoquantur. Ita obtinebis hujus

Syrupi

Syrupi libras duas vel circiter. Quibusdã in Pharmacopolijs hic Syrupus ad Confectionem Alchermes paratus & venalis habetur. A Monſpelienſi Academia autem omnium optimus peti poteſt. Qui hunc Syrupum aliquoties jam compoſuit, is bonitatẽ ejus facilè dijudicare poteſt. Quamobrem recipe hujus Syrupi libras duas, adde eſſentiæ ligni aloes, eſſent. Cinamomi, ambræ gryſeæ ana drach. 1. Moſchi drachmam ſemis, miſce probè cũ piſtillo ligneo vel lapideo: dehinc magiſter: margaritarum Orientalium drachmam unam & ſcrupulum ſemis Magiſter: Corallio: rubrorum oculorum, cancrorum, lapillorum percarum, cornu cervi, ſapphirorum, ſmaragdorum, hyacinthorum, magiſterij auri ana drachmam ſemis, magiſt: oſſium cordi cervor. ſemiſcrupulum adijce: Mediæ quoq; hujus Confectionis parti lapidis lazuli per uſtionem & lotionem in pollinem redacti ſemidrachmã appone; alteram verò medietatem ſine eo relinque. Inſuper toti cõpoſitioni aliquid foliorum auri inſperge. Atq; hæc eſt Confectio noſtra Alchermes in humida vel liquida forma, ſequitur nũc deſcriptio alterius in ſicca forma.

Recipe reſinæ granorũ Chermes & ſantali rubri cum ſpiritu roſarum extractæ &

l.a. præcipitate unciam ſemis Reſinæ ligni aloes eodē modo extractæ, Eſſentiæ Cinnamomi proprio ſpiritu Cinnamomi paratæ ana drachmas ij. Magiſter: margaritarū Orientalium ſcrupulos ſeptem, magiſt. Coralliorum rubrorum, apicum cornu cervi, ſapphirorum, ſmaragdorū, hyacinthorum, auri ana drachm. I. Eſſentiæ ambræ & moſchi ana drachm. I Magiſter. Oſſ: Corde cervi ſcrupul. I ſacchari candi albiſſimi ad duplum pondus omnium. Mediæ parti hujus Cōfectionis ſiccæ admiſce quoq; lapidis lazùli per uſtionē & lotionē in ſubtilem pulverem converſi drachmâ unam: In reliqua verò parte dimidiata iſte omittitur. Ex hiſce manifeſtum eſt, noſtram Confectionem Alchermes conſtituere ex lectiſſimis *Vegetabilibus* ſuccum pomorum, aquam & ſpiritum roſarum, tincturā granorū Chermes, ſantalorum rubrorum, Eſſentiam Agallochi, Cinnamomi & ſaccharum; *ex animalibus* magiſterium cornu & oſſium cordium cervorum, Extractum ſerici crudi & moſchum; *Ex lapidibus pretioſis & bitumine terræ* margaritas, corallia, lap. lazuli, ſapphiri, ſmaragdi, hyacinthi vel ex ijs magiſterium & ambram; *Ex metallis* perfectiſſimum & temperatiſſimum, illud, nempe aurum. De ſingulis hiſce ſimplicibus

cibus in ſequentibus capitibus rationem reddam, eorum qualitates, facultates & artificioſum præparandi modum attexam, & deniq; ultimo loco multiplicem hujus Cõfectionis uſum in compluribus morbis oſtendam, ut conſtet, hanc compoſitionem facilè eſſe primam inter illas, quæ corroborant, ſpiritus reficiunt, & multis ſcatent remedijs.

CAPUT III.

De granis Chermes, eorum ſucco & tinctura.

HÆc Confectio cognomen *Alchermes* & διὰ κοκκῶν βαφικῶν habet, quod ex articulo Arabico *Al* & voce Arabica *Kermes* ſeu *Chermes* ſumit. Hac nominis cognitione in rei perceptionē provehi poterimus, unde & grana Chermes, eorum ſuccum & tincturam primo loco conſiderabimus. Igitur Chermes Arabicè idem ſonat, quod Græcè κόκκος βαφικὴ, Latinè quoq; Coccus Baphica Granum item Coccũ vel tinctorum ſeu tinctorium, communiter in Officinis Granum Chermes. Quamvis autem nonnulli Medici Coccũ Baphicam & Grana Chermes diverſa eſſe fruticum genera contendant, quibus & *Braſabola* in examine Syruporum ſubſcribere videtur:

tamen si contulerim⁹ ea, quæ tam Veteres, ut pote *Dioscorides lib. 4. c. 39. Theophrast. lib. 3 Histor. Plantar. cap. 17. Pausan. in Phoci. libro X & ultimo in fol. p. 681. Serapio de temperamentis simplicium c. 311 in Charmen Plinius lib. 16 natural. histor: c. 8. lib. 9 cap. 41 & lib. 14 c. 4.* quam recentiores simplicium indagatores, nempe *Matthiolus in Dioscor. l. d. Costæus in Mesuen. Clusius lib. 1 histor. variorum plantarum c. 16. Pet. Bellonius lib. 1 observation. c. 17. Pena & Lobel. in novis stirpium Adversarÿs de Cocco Infectoria seu Ilice coccifera* tradiderunt granum hoc infectorium & Coccum idem esse, planum erit, ajunt enim hi autores quòd Coccus Baphica inveniatur in exiguo quodam frutice ex Ilicis cocciferæ genere, cujus folia spinis, uti Aquifoliæ, horrent. Hinc à *Bauhino in Pinace Theatri Botanici lib: XI sect: 4* vocatur ilex aculeata cocciglandifera. Crescit autem hæc ilex in Palæstina, ac juxta lacum, qui mare Tyberiadis dicitur, in Creta Insula, in Narbonensi Gallia apud Monspellienses, Aquisextienses, Massilienses & Arelatenses, in Hetrusco & Romano agro in locis montosis inter varias ilices smilaces asperas, terebinthos, lentiscos & in ijs regionibus, quæ mediterraneo mari vicinæ sunt, magnoq; ardori solis expositæ. Et

Costæus

Costæus in notis ad Mesuen testatur, se sæpius Venetijs vidisse Coccum cum foliolis & calyculis, ex quibus colliguntur grana maturitatem adepta, quæ à nostratibus cotconel, à quibusdam Clervicel appellantur, quæq; ad lanea ac serica Opera inficienda adhibentur atq; caro veneunt pretio. Differt autem hic fructus ilicis coccigeræ à bacculis, quæ adnascuntur Pimpinellæ generi, quod in Italia communiter strella dicitur & primæ mensæ ibidem apponitur: Illæ enim bacculæ asparagi æmulæ omni colore rubicundo sunt destitutæ, de quibus vide *Francisc. Alexandrum in Phœbo Medicorum pag: 91.* Nostris autem granis Cocci Baphicæ inest color rubeus, qui instar rosæ emicat. Differt etiam hæc Coccus Baphica à cocco Orientali vel cocculis Orientalibus Officinarũ quas *Matthiolus lib: 3 Epistolar: medicinal: pag. 136* & seq. nec non *Codronchus in peculiari tractatu sub titulo baccarum Orientalium & piscatoriarum* descripserunt. Hæ enim cocculæ Officinarum sunt fructus solani furiosi in Ægypto omnis rubedinis expertes, qui ad capiendos pisces & abigendos pediculos, ceu præstantissimũ remedium, expetuntur. Inveniuntur quidem in polygoni minoris (quæ planta nostro idiomate Knawel dicitur & in Polonia & apud

nos

nos copiosè crescit) radicibus circa solstitium adhærentes bacculæ granorum infectoriorum æquales; Unde hæc herbula à *Camerario in Epitome Matthioli* Polygonum cocciferum appellatur: At licet hæ bacculæ tritæ sanguineum fundant liquorem, tamen non est tam copiosus, efficax & permanens, quàm in granis Chermes deprehenditur. Manifestum quoq; est discrimen inter hanc Coccum Baphicam & Coccum Indicum Orientalem, fructum arboris, quæ palmæ modo crescit & describitur à *D. Garcia ab Horto lib.* 1 *histori. aromatum c.* 26. Nam uterq; fructus cùm magnitudine & formâ, tùm colore & qualitatibus planè inter se differt. Cocci enim Indici sunt nuces interdum prægrandes, interdū exiguæ proceræ cujusdam arboris nullo rubicundo colore præditæ. At coccum infectorium est frutex surculosus parvus & ilex aquifolia, cui grana, ceu lentes, adhærent. Illis granis inest color rubens, quē Galli squarlatū alij floridū chermesinum colorem vocant, quiq; ad tincturam purpurei coloris adhibetur. Etenim ipso vere, spirantibus favonijs, ac imbribus decidentibus granula exigua circa ramulos surculosos apparere incipiunt: Junio mense ad maturitatem perveniunt unà cum innatis

tis vermiculis, qui calore solis animati mox avolant, nisi diligentiâ custodũ concussi enecentur. Hinc Veteres σκωλήκιον, hoc est, Vermiculosum dixerunt, eò quod hæc grana celerrimè in vermiculos convertantur. Infectores, qui magnam quantitatem cocci emunt, baccas non premunt, sed aceto aut albo vino irrorant, ne in vermiculos, aut vinisugas exiles muscas abeat cruor, relictis pœnè vacuis tunicis seu vesiculis. Granum hoc tinctorium vel infectorium astringendi virtutem cum nonnulla amaritudine obtinet & citra acrimoniam ac morsum exiccat. Proindè, inquit *Galenus lib. 7. simplic. medicament. in cocco baphico*, vulneribus convenit, præsertim læsionibus nervorum, si cùm aceto vel oxymelite teratur & imponatur. Adversus superfluentes menses à recentioribus commendatur & succus vel syrupus granorum propinatur. *Dodon. lib. 4 pemptad. c. 4 Histor. stirpium*. Refertur etiam inter ea, quæ cordi prosunt, idq́; roborant. Nam quod *Manardus in appendice suarum epistolarum pag.* 408. scribit, *se nullam aliã in Cocco agnoscere vim, quàm constringentem & ratione coloris rubri sanguinem propter similitudinem trahendo, cor, spiritusq́; potius lædere, quàm* juvare, hoc nõ fidem meretur: quippe ad

pe ad hoc *Autor Phœbi medicorum* rectè respondet, quod facultas astringendi in Cocco non parum momenti ad cordis & aliorum membrorum robur obtineat, dum spiritus firmando cogat, qualis facultas in rosis rubris, in santalo rubro, in rubicundo florum hyperici succo, licet non in tam excellenti gradu, se exerit: Hinc rubor ille non noxius, sed potius proficuus esse potest ea signaturâ, quâ ad sanguineæ massæ colorem vergit, quam puram & defecatam reddere, spiritusq; vitales vegetiores efficere valet, ipso teste *Dioscoride* l. d. Huc accedit testimoniũ *Car. Clusij*, qui antè nominato loco meminit, quod viderit in Mõpelio mulieribus in difficili partu & collapsis viribus constitutis scobem cocci non sine fructu in vino fuisse exhibitam, vel ipsam Confectionem Alchermes; Et obstetrices eâ non absq; ratione & commodo ad abortus impediendos uti affirmat *Paulus Renealmus in specimine historiæ plantarum pag.* 19. Proinde magna pars virium hujus compositionis à succo recentium granorũ Infectoriorum dependet, qui Confectioni Alkermes in forma humida lapidem quasi angularem & floridum purpureum colorem præstat. Ad compositionem Alkermes in forma sicca non assumo grana illa ob-

oblonga & crasſa transverſimq́; ſtriata, quæ ad nos afferri & in officinis vulgo grana Chermes vocari ſolent, eò quod ſaltem ſint externæ tunicæ ac veſiculæ ſucco interno rubicundo Chermes nudatæ; Sed pulpam levi compresſu in corpulentum pulverem vel parva grana redactam, quæ ad linea & ſerica coloranda expetitur, & Cotconella poſſim Hiſpanisq́; Concinelle hodiè appellatur. Siquidem ex hoc grano obſcurè rubro ſive puniceo, duro & aſpero affuſione & extractione ſpiritus roſarum ſubtile magiſterium conficitur, quod quãlibet aquã rubicundo colore tingit & Confectionem noſtrã in forma ſolita purpuream reddit. Conantur quidem nonnulli aquâ roſarum acidulâ tincturam ex hiſce granis elicere: at illa minus eſt durabilis, nec tam potenter liquorem inficere poteſt, quam noſtrum magiſterium ex granis Cotconellæ paratum. Chymici enim ſingulari artificio extracta vegetabiliũ ſpiritu aliquo facta nõrunt additione alicujus aquæ præcipitare & ſuper porphyrite in pulverem congelare. Hoc pacto & gummi, alijq; ſucci concreti in friabiles reſinas convertuntur.

CAPUT IV.

De Serico crudo, ejusq́ infuso.

SERICum à loco Seres Indiæ Orientalis vel inextremis Persiæ urbe antiquissima, ex qua in universum orbem serica opera ferebantur, Latinis dictum est: Nam circa annum Epoches Christi 550 Monachi ex India Constantinopolim venerūt. Græcosq; rationē conficiendi serici docuerūt. Sed enim non tantū à Serib⁹ Romani Sericum habuere, sed etiam ex Co, Ceo & Assyria, in quibus locis Bombyces sponte sua conficiebant serica stamina: Qua de re *Aristoteles lib. 5 histor. animal. c. 19. Plin. lib. 11 nat. histor. c. 22 & seq. Pausanias sub finem lib. 6 seu Eliac. poster. Zonaras in Iustiniano, Procopius lib. 4 belli Persici, Photius Codice 64 & 65 ex Theophanis historia p. 79 & 94. Solinus in Polyhistor. c. 13. Vopiscus in Aureliano pag. mihi 393 & 383. Nicephorus lib. 17 hist: Ecclesiast. c. 32. Scaliger Exercit. 158 sig.* legi possunt; quanquam antiquis Bombycum historiam & sericorum filorum texturam non exactè cognitam fuisse & nonnūquam à veritate aberrasse *Ulysses Aldrovandus lib. 2 de insectis cap.* 6 rectè ostendit. Quandoquidem Bombyces admirando naturæ spectaculo ac singulari opificio vellus & telas sericas vel bombycinas, modò candidi,

modò fulvi aureive coloris texunt & agglomerant ; quas mulierculæ retorquendo in fila deducunt & ad holosericum inde parandum divendunt. Nonnullæ industriæ mulieres vermiculos hosce domi mori folijs alunt, ubi duobus mēsibus per varias transmutationes [quas Aldrovandus loco dicto recenset] staminis serici tenuissimi opus glomerant pertexunt & sub eo folliculum abscondunt, quo bombyx inclusus est. Quamvis autem *Dodonæus lib. 4 pemptad. 6 cap. 4 histor. stirpium* existimet non opus esse, ut grana Cocci serico Crudo incoquantur, & ut sericum Cōfectio Alchermes recipiat propterea quod ad cordis roborationem nihil faciat: tamē nos Afrorum Medicorum & aliorum recentiorum longâ observatione experientiâ & autoritate subnixi pronunciamus sericum utiliter medicamentis cordi potissimùm conducentibus admisceri. Siquidē *Serapio c. 9 de cognoscendis, curandisq́ animi morbis, Mesues lib. 1 de Electuario, de granis infectoriis*, ejusq́ fidus interpres *Costæus*, nec non *Avicenna tractat 2 de viribus cordis lib. 5* affirmant, quod sericum crudum sit temperatum, calidum & siccum primo gradu, eiq́; insit proprietas lætificandi & roborandi cor, spiritus animales & naturales ala-

alacriores reddendi, visum acuendi & memoriam excitandi conservandiq́;. Undé & velleris serici non flaccidi sed duriusculi, beneq́; purgati usus in Diamoscho dulci Mesuæ, in Pleres archontico Nic. Præpos. in Confectione Cordiali Alexandri Benedicti, in Speciebus Cordialibus temperatis, in restituta Confectione Hyacinthina Laur. Souberti, & Serici Crudi usus in Syrupo de pomis & de corticibus Citri est receptus. Jtaq́; ad nostram Confectionem & serica fila cruda candida vel fulva à serificis vermibus neta & ipsi folliculi detractâ tàm internâ quàm externâ araneosa corticula & vermiculo vivo exempto, ne folliculi putredinis aliquid inde contrahant usurpantur, quæ imbibuntur succo granorũ Chermes eo modo, qui supra capite secundo expositus est: Postea & Serici & Cocci baphicæ virtus in infusum succi pomorum & aquæ rosarum traducitur indeq́; laudabilis Syrupus conficitur. Non autem expedit accipere holosericum vel pannum sericum purpureum: Quia ille color huic panno non solum granis Chermes vel cotenellâ, sed & alumine gallis, sale ammoniaco, arsenico vulgari & similibus malignis rebus & nostræ naturæ planè adversis conciliatur. Hinc & Avicenna l. d. sericum tali modo

modo infectum in hac Confectione nō admittit, sed crudum & unius Cocci viribus ac colore imbutum expetit. Quarè ejusmodi holosericum vel serica stamina non sunt adhibenda, quia tantum abest, ut vires cordis defendant, ut potius eas plurimum offendant:

CAPUT V.

De Santalis rubris, eorumq́ tinctura ad Confectionem siccam Alchermes perutili.

LIgnum Santalinū Græcis Medicis non innotuit, sed Arabibus: nam de eo *Serapio cap.* 336 *de temperamentis simplicium*, *Mesues passim, præsertim in Electuario ac Cerato Santalino*, *Avicenna lib.* 2 *de Viribus cordis cap.* 656, *Averrhoes cap.* 56 *simplicium* agunt. Et expressè *Averrhoes lib.* 5 *colleg.* negat Sandal Galeno notum fuisse: Vocabulum hoc est origine Arabicum, & descendità *Summ*, quod Arabibus est aroma & *Dal* quod significat apud eosdem altum, excellens vel auctionatum. Ergò *Sandal* perinde erit, quasi dicas *sublime vel pretiosum aroma*. Proinde si scriptionem sandali ad amussim Orthographiæ expendere velimus rectius per D. quam per T scribitur, undè & complures Medici Sandalum per D expri-

pri-

primunt. Enimverò ne Sandal cùm latinæ voce sandalio & sic calcei genus cum nobili aromate confundatur, malumus cum alijs id santali nomine signare. Sed super scriptionis modo cũ nemine litigabimus, cuivis eum liberum relinquentes: Quin potiús de re ipsa simus soliciti, nimirùm de natalibus, generibus & virtutibus ejus.

Quocircà certum est, quod hoc lignum in utraq; India nascatur, quodq́; sit densissimum, triumq́; generum, rubrũ, citrinum & album. Album tradunt in maris Chinarum Insula, quæ Timor appellatur, nasci, & non nisi observatu lunæ cædi: alioquin inutile futurum. *Scaliger exercit.* 150 *sect.* 1 *Garcias ab Horto lib.* 1 *histor. aromat: cap.* 17. Rubrum, quod ad hanc Confectionem siccam ob virtutem pariter & colorem assumimus, in India intra Gangem fluvium, quem incolæ Ganga vocant, provenit, & ab ijs adversus febres usurpatur. Sua quoq́; ex eo fabricant idola, ut *Garcias* loco dicto memorat: Differt à Brasilio ligno, quod hoc nõ ita inficiat, sicut Brasiliũ & frigidum statuitur ab *Averrhoe* in tertio gradu, siccũ in secundo. Sed eum santalum album & pallidum odorata sint, vix hunc gradum assequuntur. *Medici Lugdunenses lib.* 18. *plãtar. peregrin. cap.* 11. Omne genus autem

San-

Santali ab Arabibus Medicis ante nominatis cordialibus annumeratur remedijs, crediturq; cor roborare, refrigerare, fuligines ejus tetras discutere, aeremq; temperare. Atq; privatim rubrum commendatur, quod destillationes prohibeat, nonnihil astringat, & fervorem sanguinis compescat. Indè internè & externê in hæmorrhagijs utiliter adhibetur. Nos pro confectione sicca Alchermes ex duabus ejus uncijs cum spiritu rosarum tincturam & rubedinē extrahimus, eam postmodum aquâ rosarum præcipitamus, lentè exiccamus atq; hoc magisterio rubedinem nostræ Confectionis siccæ saturamus.

CAPUT VI.

De succo Pomorum,

Μῆλον, malum, id est, quod Latini, Itali quoq; & Galli pomum vacant. Etsi verò magna pomorum differentia, vel ex loco, vel colore, vel sapore, vel causis, vel figura & magnitudine desumta occurrat: tamen Medici pro varijs scopis saporem odorem eorum potissimùm considerant, & vel ex solis dulcibus, vel acidis, vel mistis Succum & Syrupum pomorum componunt. Dulcia poma *Dioscoridi lib. 1. cap. 161 & P. Æginetæ lib. 7 cap. 15.*

 με-

μελίμηλα καὶ γλυκύμηλα dicũtur. Dulcia & odorata, eorumq; ſuccum ac ſyrupum hi Medici commendant ad cordis affectus, ſyncopen, palpitationem & tremorem ejus. A *Serapione & Meſueo* Syrupus acidus pomorum ad ſitim ſedandam, vomitum compeſcendum & ſyncopen ab inflammatione aut calida oris ventriculi intemperie & ad æſtum frangendum ac refrigerandum putredinemq; tollendam in bilioſis acutisq; febribus præſcribitur: convenit etiam æſtatis tempore ſanis & præcipuè bilioſis naturis, quib⁹ partes internæ vi caloris facilè reſolvuntur: Illas enim egregiè reficit. *Actuarius lib. 5. methodi medendi cap: 2. de potionibus febri decumbentium* ex malis dulcibus & acidis medicamentum ſyrupo ſimile cum ſaccharo conficit, quod ventriculum & jecur firmat, vomitum diſcutit & appetentiam invitat. Ad confectionem noſtram Alchermes aſſumuntur mala curtipendula, ſuccoſa, odora, guſtu & ſapore jucundisſima & dulcedine vinoſa gratisſima, qualia quoq; apud Gallos primas tenent & ad nobilem hanc confectionem parandam expetuntur. Quãvis autem, *Joan. Manardus in annotationibus ad electuarium de pomis Meſuæ* non queat adduci, ut credat poma cordi prodeſſe, ſed

ſed putet Arabum eſſe commentum: Tamen quùm hic ſyrupus pomorum experientiâ ſuffragante melancholicis affectibus mirè ſuccurrat, & corticis horum pomorum ſuffitus halitum excitet odoratiſſimum, utiq; & penes rationem & penes obſervationes ſtat fides hunc ſyrupũ pomorum ad cordis robur plurimùm facere: Nam præter odorem gratum etiam dulci ac temperato conſtant ſapore, quo cordis imbecillitatem multùm emendare poſſe veriſimile eſt; Hinc inter cardiaca medicamenta meritò refertur. Nec ſolùm hic ſyrupus cordi, ſed & reliquis viſcerib⁹ internis gratus eſt, et ut cordis ita quoq; eorum virtutes ſopitas ſapidiſſimo ſuo guſtu excitat & reficit, lætitiamq; inducit. Pomorum autem ſuccus ita commodè elicitur, quando poma cum corticibus fruſtillatim conciſa contundũtur, contuſa in cucurbitam vitream reponuntur atq; in leni calore M. B. per aliquot horas digeruntur, ut pulpa magis ſuccoſa fiat & ſuâ innatâ humiditate diffluat: Poſt prælo ſuccus exprimitur. Hic iterùm per unum atq; alterum diem in leni Balnei calore ſtatuatur, ut feces ſuas deponat, & ſuperfluus aqueus humor lentè extillando conſumatur: Dehinc aperto vaſe clarus ſucc⁹ de-

pleatur, qui corporis partes celeriùs ipsâ ſubſtantiâ permeat & diſtribuitur, teſte *Galeno lib. 2. de aliment. facultat. cap. 21.* Huic purificato ſucco æquales partes aquæ roſarum adduntur & cùm ijs ſerici cocco baphica recenti tincti vires colorq́; extrahuntur, ſicut ſuprà dictum. Nunc huic conſequens eſt, ut & aliquid de aqua & ſpiritu roſarum commentemur.

CAPUT VII.

De Roſis, earum aqua & ſpiritu.

P*Linius lib. 21 natural. hiſtor. c. 4. & 19.* roſam nobis tanquam principem florum & maximū terræ gratiſſimumq́; hortorum decorem commendat. In roſa tamen tàm *Galenus lib. 3. ſimplicium cap. 5.* quàm *Meſues cap. 10 de ſimplicibus* diverſas ſubſtantias arte ſeparabiles agnoſcit, utut ſeorſim ſimplex eſſe videatur: Nam præter aromaticam dulcedinem ei quoq́; aſtrictio, amaritudo & quædam quaſi mordicatio ineſt. Haſce qualitates *Galenus lib. 4 ſimplic. cap. 23. & lib. 3. ſimplic. cap. eodem* fuſiùs perſequitur, diligenterq́; ijs in locis de roſa agit: *Succi roſæ,* inquiens, *tria ſunt excrementa: Unum terreum, quale eſt in vino fæx vel tartarum: Alterum aereum, quod ipſum quoq́ vini flori proportione reſpondet:*

Ter-

Tertium aqueum, quod in omnibus ebullitionem & corruptionem efficere diximus: Deinceps Galenus subjungit qualitates diversas, quæ partium diversitatem sequuntur: *Cæterum*, ait, *in rosæ materia aliud gustantibus acerbum est, quod terreum ut sit frigidumq́, necesse est: Aliud verò amarum, quod tenue est & calidum: Et tertium in his aqueum necessariò quidem, sed in tenuitatis & crassitudinis oppositione quadantenus succorum medium.* Hactenus Galen⁹. Hæ qualitates rosarum partim sine arte, partim per eam deprehendi possunt: humida enim & aerea ejus qualitas spirabili odore quasi naribus influit, ut loquitur *Scaliger exerc.* 325: Sic & aqua, cui rosæ sunt infusæ, odorata evadit, at est corruptioni putrediniq́; facilè obnoxia. Succus autem earum decoquendo crassescit, & sapore fit tristis, acerbus & amarulentus, partesq́; spissiores subsident, quæ vel tartaro vini, vel coagulo lactis assimulantur. Hinc rectè *Langius lib.* 2. *Epist.* 33. pronunciat, quòd virtus rosarum odorifera & laxativa consistat in supernis, hoc est, aereis & aqueis; astringens verò & amara in infernis, hoc est, terreis partibus delitescat. Infusio enim rosarum, inprimis pallidarum cùm succo roris majalis vel aqua pluvia facta & cum recentibus

rosis aliquoties repetita benignum præbet dilutum, quod nostræ ætatis inventum est, choleram & alios vitiosos humores clementer evacuans & sanguinem emundans. Quod & præstat Syrupus rosatus solutivus, vulgò Mucharus rosarum, qui in officinis medicamentarijs paratus prostat, & vel cum sero lactis vel cum alijs stimulantibus medicamentis exhibitus sine molestia purgat. Quando verò rosæ coctionem sustinuerunt, mox humida illa & aerea qualitas dissipatur, evanescit & remanet in succo manifestè astringens & inamarescens qualitas. De facultate & virtute rosarum *Dioscorides lib. 1. de materia medica cap. 130. Galenus & Mesues d.l.* diligenter egerunt, quòd videlicet rosa cor roboret, conferat tremori ejus, aperiat oppilationes jecoris, ei robur aspiret languido, sedet dolores calidos, somnumq; conciliet. Quin & *Avicenna lib. 2. de viribus cordis lit. R* testatur, quod rosa in syncope & cardiaca prosit, immò omnia viscera firmet: quamobrem & Veteres ad Antidotorum ac solennium remediorum compositiones rosas asciverunt, non tantùm quod odoris suavitate præstēt, sed & quod multarum virium facultate polleant.

Cæterùm Chymica Ars ex rosis pretiosos

tiosos liquores, aquam, spiritum, tincturam & Oleum elicere docet. Modus autem ex rosis per sublimationem acquirendi liquorem Arabibus Medicis primùm innotescere cœpit. Quippe quum Græci suis temporib⁹ mira medicinæ dederint exordia, Arabes, Saraceni & Mauritani pro viribus studuerunt, ut ars curandi per singulare destillandi opus caperet incrementa. Aquæ enim rosarum per sublimationem *Mesues* diversis in locis meminit, quæ Græcis anteà Medicis (excepto *Actuario qui in lib. de medicament. composit. tit. de Iulepijs* Arabes secutus est) erat planè ignota. Quandoquidem *cap.* 10. *de rosis & cap.* 14. *de lapide lazuli, utet libr.* 1. *de granis Chermes* hujus aquæ stillatitiæ disertè facit mentionem. Insuper *lib.* 1. *de Syrupis & Robub.* ex aquæ rosarum libris tribus, Sacchari libris duabus Iulepum docet conficere. Sic & *Avicenna in* 5. *can. sum. tractat.* 6 & *Serapion in proprio Antidotario* similis Iulepi cõpositionem tradunt, quæ constat ex sacchari pulverati parte una & aquæ rosaceæ claræ bonæq; substantiæ partibus tribus: Unde suavissimus potus ad calorem sitimq; removendam existit. Hujusmodi Iulepũ Regi Galliæ Francisco in frequenti

usu ac delicijs fuisse, quem ideò Medici Parisienses Iulepum Regium dixerunt, scribit *Sylvius in Mesuen.*

Quocirca *D. Ioannes Carolus Rosenbergius in sua absoluta Rhodologia lib. 2. cap. 22.* aquam rosarũ destillatam rectè commendat, quòd sit aquarũ stillatitiarũ præstantissima, odore fragrantissima, sapore suavissima, virtute nobilissima, utilissima, usitatissima, non solum Spagiricæ, sed & Magiricæ artis cultoribus commendata. Quippe per longum tempus vires rosarum recentium, quarũ non semper copia est paucoliquori inclusas retinet, & suam virtutem in corpore humano ob λεπτομερίαν (*tenuitatem partium*) celerrimè exerit, spiritusq; vitales & animales reficit. Nam tametsi ex succo vel infusione rosarum odor viresq; earum in aquam transferantur: Tamen ille non est adeò spirabilis & influens, viresq; ab aqueo humore facilè conficiuntur. Quomodò verò rosarum aqua per sublimationem paretur, id fideliter docuerunt *Hier. Rubeus in peculiari & eleganti libello de Destillatione, Euonymus vel C. Gesnerus in suo thesauro de remedijs secretis ex Bulcasi, Sylvio, Cardano &c. Hier. Brunsvicensis & Otto Brunfelsius in singulari libro de Aquis Destillatis, Matthiolus in Appendice cõmen-*

mentarÿ in Dioscoridem. Ioan. Car. Rosenbergius loco dicto &c. Aqua igitur rosarum, quæ per balneum calentis aquæ ex albis rosis hortensibus & recentibus extillat, licet initio propter superfluum aqueum humidum minore fragret odore, tamen progressu temporis, vapore aqueo ab ambiente calore moderatiore purgato & aereo simul excitato, saporem atq; odorem plantæ adeò refert, ut qui aquam ipsam gustet, recentē rosam gustare videatur, & manifestè deprehendat, aquam gratâ sui odoris jucunditate succi & infusionis rosarum gratiam longé excedere. Nostrates fœminæ aquam rosaceam etiam per descensum & linteum in mortarium vel aliud vas faciendo stratum arenæ super stratum rosarum & desuper ignitos carbones imponendo parant: sic enim, observato recto regimine liquor rosarum per linteum in vas subjacens destillat, manetq; placenta rosacea sicca sub inferiori strato, quam ad multos usus asservant. Usitatior autem nunc apud easdem modus est, quo per stannea instrumenta aquam rosarū eliciunt, eamq; ad usus domesticos in loco frigido diligenter custodiunt. *Scaligero exercit.* 303 *sect.* 8. quædam mulierculæ dixerunt domesticæ rosæ respectu sylvestris pl⁹ quidem aquæ,
 sed

ſed minus odoris ineſſe; id quod noſtris difficulter perſuadebunt, quæ in deſtillatione aquæ roſaceæ albas ſuas hortenſes roſas ſylveſtribus præferunt & domeſticis plus odoris asſerunt: Nonnullæ tamen ad majorem aquæ roſarum copiam & lucrum aliquod inde captandum ſylveſtres roſas domeſticis admiſcent: Id quod & nonnulli Pharmacopœi ſine dubio facere ſolent.

Qui verò roſas in copia colligunt, in dolia probè ſtipata recondũt, ea in umbra vel in loco ſubterraneo diligenter occluſa aliquandiu detinent, macerantq;, donec per fermentationem roſæ vinoſum odorem acquirunt, & poſt incipiunt roſas maceratas vel per balneum aquæ calentis vel per veſicam aheneam (cujus ſuperficies ſtanno ſit circumlita) deſtillare, deſtillatam aquam alijs roſis maceratis affundunt, iterùmq; deſtillant, atq; laborem hunc aliquoties repetere pergunt, hi ſpirituoſam colligunt aquam. Nam hæc omnis aqua ſpirituoſa demũ per phiolam vitream oblongam & appoſitum pileum per M. B. rectificata fundit ſpiritum roſarum odoratiſſimum ſuaviter fragrantem & inſtar ſpiritus vini flagrantem remanente aqua roſarum in fundo phiolæ. Hujus ſpiritus una parte poſſunt decem partes aquæ fontanæ

tanæ in aquam rosaceam converti. Præstat autem ad unam destillationem aquam rosarum stillatitiam in promptu habere, hanc rosis maceratis affundere, ut ijs optimè madeant, posteà per vesicam sublimare, liquorem omnem alijs maceratis denuò affundere, idq; tertiò vel quartò repetere, sic plus spirituum ex hisce destillationib⁹ elicietur. Hæc essentia rosarum spirituosa tam excellentis jucundiq; existit odoris, ut una vel altera gutta manibus vel pileo vel mitræ illita odorem per triduum servet indelebilem. Qui spiritu hoc rosarum genuino est prædit⁹, is eum (ut obiter hoc moneam) in oleum albicans & spissiusculum nectar merum atq; ambrosiam redolens, convertere poterit: quippe si hunc spiritum cum flore rosaceo in vesica excoxerit, oriq; fistulæ prominentis linteum mundum duplicatũ adalligaverit, sic oleum candidum nonnihil crassum & concretum linteo adhærescens obtinebit, aquâ debili rosarum perfluente. Hoc parare docuit *Guntherus*, Medicus Doctissimus *lib. 1. Observ. ac Paradoxorum Chymiatricor. pag. 29.* Ejusmodi oleum tanquam thesaurus pretios⁹ in benè constitutis pharmacopolijs diligenter asservatur: Est enim ad vires cordis ac cerebri robo-

randas vehementer utile. Memini me ante aliquot annos hoc apud *Dn. Casparum Tempelmannum*, Pharmacopœum Lubecensem peritissimum & felicem ejus possessorem vidisse, qui id mihi, in mediocri quantitate paratum & fragrantissimi odoris, contrectandum dabat. Igitur taceant illi, qui oleum ligni rhodij rubicundum longè ignobilius, injucundius & inefficacius vel aliud mangonicum oleum ex oleo Caryophyllorum amygdalarum dulcium, nucis moschatæ, terebinthinæ, pini, anisi, fœniculi rosis, benzoin, caphura &c. destillatum questus causà pro vero rosarum oleo callidè venditare & supra modū commendare satagunt. Sed ut redeam illuc unde deflexi, nimirùm ad rhodostagma & spiritum rosarum, certum est, quod in excellenti gradu hi stillaticij liquores tales virtutes obtineant, quales rosis integris asscribuntur in corroborandis cordis cerebriq; viribus, quū de essentiali ac medicamentosa rosarum parte, in qua primaria remedij vis insidet, potissimū participent, Itaq; rectè cum aqua rosarum & succo pomorum dulcium vires serici succo granorum Chermes imbuti extrahuntur: Rectè quoq; cum spiritu rosarum essentia ligni rhodij, xyloaloes, ambræ & moschi elicitur:

cur: Siquidem hæ essentiæ per artem Chymicam à cruda substantia separatæ suam actuosam qualitatem in nostra Confectione Alchermes eò liberiꝰ & citiꝰ exerere queunt. Quamvis autem rosæ odor (quo pleriq; mortalium recreari solent) nonnullos ad deliquiũ animi ducat, ceu exempla proponunt *Hieron. Cardanus in libello de simplicibus medicamentis, Amat. Lusitanus Cent: 2. Observ. 36, Spigelius lib. 2 Isagog: in rem herbariam c. 13. I. C. Rosenberg. in sua Rhodolog & Animadvers. atq; exercit. medic.* 35 *p.* 102: tamen quum rariꝰ occurrant, sintq; extraordinaria, ideoq; universali experientiæ non possunt præjudicare: Experimenta enim capiuntur ab ijs rebus, quæ plerumq; fiunt & ex sæpiꝰ iterata observatione ejusdem effectus colliguntur, inquit *Joh. Picus Mirand. lib.* 11. *in Astro. cap.* 1. Neq; aliqua persona vel mas vel fœmina aliquod incõmodum facilè ab usu hujus Confectionis sentiet, si illam cum amaris minusq; gratis antidotis, e. g. theriaca, mithridatio, Speciebus liberantibus cum aloe &c. permistam usurpaverit. Qui plura de rosis cognoscere desiderat, is sibi comparet doctissimum scriptum *Rhodologiæ* ante decennium, & quod excurrit, à CL. *D. Ioh. Car. Rosenbergio* emissum & suo nomine dignum,

 idq;

idq; legat & pervolutet. Nunc pro conclusione hujus capitis quosdam versiculos in laudem hujus floris honoremq; conjugij à me aliquandò conscriptos subijciam.:

Si *Rosa* non esses, me [?]icina invisa jaceres:
 Pharmaca nam præbes omnia grata *Rosa*.
Tu dulcore tuo medicamina tristia sensu
 Cordis ; nil in te, flos tener, insipidum.
Testis Hygea mihi locuples. nam te sine rarò
 Hæc aræ Charitum sacrificare potest.
Fundit *aquam* gratam Rosa, magnā & *spirituum* vim,
 Et fragrans *oleum* & *balsamum* odoriferum,
Conservam præbet, *Iulep*, suavemq́ *Syrupum*,
 Purgantem *succum*, *mel*, *rotulas*, *species*.
Ad multos usus hoc nobis nobile germen
 Conserves annis omnibus, Alme DEUS.

CAPUT VIII.

De Sacchara.

RES controversa & plena dissensionis inter Medicos fuit.: Utrum Saccharum nostrum Græcis Medicis cognitum fuerit, necne? *Manardus lib. 9. suarum Epistolarum Epist.* 5. negat Saccharum nostrū, Græcis innotuisse, vultq; eorum Σακχαρ ή Σακχαρον esse salem Indum & mellis speciem.. Et *Ioannes Camertes in enarratione in cap.* 65. *Iulini* memorat, quod hunc ipsum Manardum Viennæ quondam multis rationibus disserentem audiverit, Plinianum Saccaron, cujus *lib.* 12. *nat. hist. c.* 8 memi-

meminit, non esse illud omninò quod hodiè communiter Zuccarum vel saccharum dicitur. *Matthiolus in Dioscoridem lib. 2. cap. 74.* contra affirmat, Græcorum Saccharum esse idem cum nostro ex ijsdem cannis, sed nostrum arte perfici, Græcorum autem Σάκχαρ naturale esse. Nos, quemadmodum *Aristoteles lib. 2. de anima* ex operatione animæ potentiam ejus, ex potentia rem ipsam venatur, & *Galenus lib. 4. simplic. cap. 23*, ex sapore potissimùm qualitatem simplicium colligit: Ita & eadem pressè sequentes fundamenta, Saccharum Græcorum idem esse cùm Saccharo Arabum hoc Syllogismo probabimus:

Quorum eadem est operatio semper eodem modo se habens, quorum etiam est inseparabilis qualitas & proprietas, eadem specie convenire, nec diversa esse oportet.

Iam verò Veterum Græcorum & Arabum nostriq; Sacchari eadem est operatio & proprietas.

Ergo utrumq; Saccharum idem specie esse oportet.

Major innititur præfato principio ab Aristotele & Galeno subministrato. Minor etiam non difficilis est probationis. Etenim *Galenus lib. 7. simplicium in M de Melle* scribit, saccharum abstergere, exiccare, digere-

gerere, καὶ οὔτε κακοστόμαχόν ἐστιν, οὔτε διψῶδες ἀποκεχώρηκε τῆς οὐσίας μέλιτος. Hoc eſt, & quia ſaccharum ſtomachū non lædit ut mel, neq; etiam ſitim excitat ideoque ſubſtantiâ differat à melle neceſſe eſt. *Et lib. 8. methodi c. 4.* ait, Saccharum conferre febri diariæ ex obſtructione. *Dioſcorides quoq; lib. 2. de medica materia c. 104.* affirmat, ſaccharum eſſe ſtomacho utile & vexatæ veſicæ, renibusq; auxiliari, unde nec ſitim inducit. Idem quoq; *Paulus Æginetalib. 7. medendi* ἀρχῇ τοῦ μ ex Galeno repetit, quod ſcilicet ſaccharum neq; ventriculum lædat, neq; ſitim conciliet ſicut mel. *Actuarius* quoq; *in lib. de medicamentorum compoſitione* cap. de potionibus febricitantium Serapium vel Zulapium ex ſaccharo & melle parat ad ſitim febricitantium ſedandam efficax: Aliud deinde ex nympheæ floribus & ſaccharo nec non aqua fontana parat Serapium ad bilioſarū vehementiumq; febrium æſtus, doloresq; & capitis fervores à bile procreatos, quod & ſitim potenter extinguit & refrigerat.. Idem quoq; Arabes de qualitate ac proprietate Sacchari inculcant. Ita enim *Avicenna lib. 2 tract: 2. cap. 755* ſcribit: Saccharum lenit & abſtergit. Et lib. 4. fen. 1

cap.

cap. 6. Saccharum est cibo propinquum, aperit, abstergit, misceri debet cum hordeo in Ephimera ex obstructione. Et *cap. 8. ejusdem libri & fen*: Saccharum est melius melle, quod minorem sitim faciat, quàm mel. *Mesue* quoq; *lib. 1. de medicinis compositis distinct: 6.* docet ex saccharo & aqua rosarum efficere Iulepum stomacho gratum & sitim excutiens. Sic *Serapio lib. de simplicium temperament in Zuchar.* Galeni verba, ut & Dioscoridis repetit, quod saccharum desiccet, & abstergat, non stomacho noceat, nec sitim faciat, & inveniatur coagulatum super cannos seu arundines in India & Arabia. Et ex Aben Mesues recitat, quod sit calidum in principio secundi gradus, humidum in medio primi, quod leniat ventrē, conferat stomacho, eò quod abstergat &c. Et *Rasis de simplicibus cap. 20* scribit, quod saccharum guttur & ventrem leniat, neq; calefaciat, nisi parum. Ex hac testimoniorum tùm à Græcis, tùm Arabibus Medicis desumtorum comparatione patet, eos Saccharo virtutes æquales & proprietates asscribere, unde utrumq; Saccharū re idem esse rectè colligitur. Quandoquidem quod saccharum olim fuerit cognitum, non autem adeò magna ejus ubiq; notitia extiterit (cum in Indiarum tractus illo-

illorum temporum ætate, veluti nostrâs naves nondũ adeò latè penetraverint) liquet ex autoribus Galeno, Ægineta & Actuario antiquiorib⁹: Ita enim de eo Scriptor gravissimus & vetus *lib. 15. Geograph: 694 lit: A in editione Casaub.* nempe *Strabo*, qui circa temp⁹ nativitatis Christi sub Augusto Cæsare vixit, atq; Galenũ integro seculo antecessit, narrat: Εἴρηκε δέ καὶ περὶ τῶν καλάμων, ὅτι ποιοῦσι μέλι μελιττῶν μὴ οὐσῶν, hoc est: Dicitur, quod & ex arũdinib⁹ mel (id est saccharum) faciant, cum apes non habeant. Cum hoc consentit *Plinius lib: 12. natural. histor. cap.* 8 inquiens: Saccharon & Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in harundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile, amplissimum nucis avellanæ magnitudine, ad medicinæ tantum usum. Hactenus Plini⁹. Nec ab hoc multum abludit *Seneca Epist:* 83, qui hæc de saccharo memoriæ mandavit: Ajunt inveniri apud Indos mel in arundinum folijs, quod aut ros illi⁹ cœli, aut ipsius arundinis humor dulcis & pinguior gignat. Hunc concretum arundinaceum succum, quem saccharum appellitamus, procul dubio etiam innuere & describere voluit *Diodor. Siculus*

lib. 2

lib. 2. *bibliothec. historiæ cap.* 36 ex partitione interpretis ej⁹ Laur. Rhodomani, quando de Indiæ locis affirmat, quòd in paluſtribus enaſcantur radices, quæ dulcedine eximia largam ſui copiam mortalib⁹ præbent, quæq; in paludibus, præſertim, magnarum arundinum, ab æſtu ſolis percoquuntur. Et *cap.* 57. *ejusdem libri* adijcit, quod multum ibidem calami reperiatur, cuj⁹ fructus, eruo albo non abſimilis & ovi columbini magnitudinem adæquans comportatur. Nam ex eo aquâ calidâ macerato & rurſus coagulato, contuſo & ſcienter manib⁹ friato incolas panes (ut nos ex ſaccharo & amygdalarum farina panem martium vel cum radicum & ſeminum pulte bellaria & tragemata param⁹) ſolere compinſere, inq; furnis asſatos comedere dulcedine eximiâ præditos diſertè refert. Hoc quoq; dicere voluit *Solinus Polyhiſtor. cap.* 65. Recitat enim l. d. paluſtria quædam loca in India arundinē creare ita craſſam, ut fiſſis internodijs lembi vice vectitet navigantes; Et ex radicibus ejus exprimi humorem dulcem ad melleam ſuavitatem. Quin & *M. Annæus Lucanus* Senecæ ex fratre nepos *lib.* 3. *Pharſalid.* §. 237 ſacchari hoc in verſiculo meminit:

Quiq; bibunt tenerâ dulces ab arundine

dine ſuccos. Et *Iſidorus lib.17 Ethimologiar. cap. 7 ex M. Varrone* (quanquam inter fragmenta ej⁹ non reperiantur) hoc triſtichon adducit, cuj⁹ & *Matthiolus* l, d. mentionem facit, & *Faber in Lexico*: Indica non magnâ nimis arbore creſcit arundo, Illius è lentis premitur radicibus humor, Dulcia cui nequeunt ſucco contendere mella. Accedit his *Statij Papinij lib.* 1 *Sylvar. carmine extremo in Saturnal*: Hendecaſyllabum:

Et quas præcoquit Hypaſita cannas.

Etſi enim *Ortelius in Geograph. Nieremberg. lib.* 1 *de miraculoſ. natur. c.* 44 & alij *Eboſia* legunt: Tamen quia nuſpiam ab antiquis proditum eſt Ebuſum, unam Balearium Inſul. ſaccharo eſſe fœcundam, ſicut ſale: ideoq; mihi lectio *Hermolai cor: ſuor. c.*306 magis arridet, qui cum *Hypaſita* commutavit, à fluvio Hypaſi, unde populi Indiæ denominati ſunt: Siquidem populum Indiæ ſaccharum è cannis præcoquere certisſimum eſt. Sed hoc in tranſitu ſaltem attingere volui. Luculenter hæc jam dicta palam faciunt, Dioſcoridem, Galenum, Æginetam & alios Veteres Saccharum ob mellis ſimilitudinem inter mellis ſpecies numerasſe: quia ſaccharum etiam eſt ſuccus dulcis calidus, ſiccus, tenax, glutinoſus & progresſu temporis crasſeſcens: quia Ve-

teres

teres hoc ex radicibus arundinum & ipsis cannis expresso, ceu liquido melle utebantur: Unde & mel cannæ dictum fuit, quod ex Ægypto, Cypro, Creta, Sicilia & Rhodo afferebatur: Quemadmodum adhuc hodiè ejusmodi mel saccharinum ex Insula Madera magnâ copiâ Antuerpiam in dolijs advehitur, viliori pretio quàm mel distrahitur & placentulæ ex eo loco mellis popularibus hominibus dicatæ conficiuntur *D. Bauhin. lib. 2 de composit. medicament. cap.* 19. Nihilominus mel à saccharo, & saccharum à melle specie differre certum est, veluti vegetabile ab animali differt. Quoniam mel est succus in ventriculis apum elaboratus & ore redditus. Saccharum verò est succus è singulari arundinis genere expressus & ad justam consistentiam calore ignis excoctus. De hac arundine saccharifera vel calamo saccharino aut canna saccharina confer & *histor. Indiæ Oriental. part.* 4. 5 *&* 6. *& histor. Occidental: Ind: part:* 3. 4. 8 *&* 9. *Penam & Lobel: in Adversar: stirpium cap. de Harundine saccharina Indica p.* 19. *Medicos Lugdunenses lib.* 9 *histor: plantar. c.* 5. *Tabernemontan. lib.* 1 *herbar. sect.* 6 *cap.* 41 *pag:* 599. Sic & *Dioscorid: l. d.* Saccharum sali comparavit. Undè Archigeni Ἅλς Ἰνδικὸς dictum. Nam cum eo con-

convenit 1. colore, quia saccharum etiam instar salis est candidum: 2. consistentiâ, quia concretione sal simile. 3. Friabilitate, quia sub dentibus salis modo friatur & 4 eliquatione, quia ut sal, aquâ affusâ liquefit & in humido aliquo diluitur. Contra licet saccharum in præfatis partibus cum sale convenientiam habeat: Tamen rectè inter utrumq; specifica differentia statuitur à naturalis scientiæ magistris. Etenim sal est substantia principalis ac basis naturæ, quæ in terris, fluvijs, herbis, animalibus & medijs mineralibus invenitur: Saccharum verò est succus arundinis cujusdam: Deinde omne sal est gustu acre & acutum; At saccharum est dulce & melleum. Proinde saccharum à melle & sale specie differt.

De cætero constat etiam, quòd saccharum in India & Arabia felici, quando in arundine solis radijs percoctum turgescit, ex cannæ oculis effluat & in grumos pisi, fabæ aut avellanæ magnitudine concrescat, sitq; candidum & pellucidum. Nostrum autem usitatum saccharum arte magis elaboratur & dissolutione ac coagulatione repetita candidius, solidius & purius redditur. Atq; optimum illud & præstantissimum censetur, quod foris & intus est

albisſimum, dulcisſimum & nivis in morem ſcintillans nec non liquefactum ac deſpumatum aqueam claritatem habet: quale eſt Maderenſe ex Luſitania allatum & in metas turbinatas denſatum. Nam ut *B. Deſſennius lib.3 de compoſit. medicament. ex Cadamuſto Patritio Veneto cap.6 navigationis ſuæ* refert, Madera Inſula frequentioribus fluminibus dulcibus irrigatur, optimâ cœli temperie eſt prædita & ſaccharum ſuapte naturâ ſelectum & ſincerũ gignit: Huic proximum eſt Valentinum & Canarium, quod itidem ſuavitate & candore excellit. Jllud verò ſaccharum, quod nunc pasſim lixivio acriore, quaſi ſapore ex calce parato, repurgatur, illam ubertatem dulcedinis gratioris perdidit & neſcio quid rancidæ acrimoniæ contraxit, unde ſanguis uritur, bilis gignitur & caput gravatur, ſicut graviter monent *Pena & Lobel: in Adverſar. ſtirpium p. 20. D. Bauhinus lib. 1 de compoſitione medicament. cap. 19.* Iccircò tale ad noſtram Confectionẽ non expetimus; Sed Arabum Tabarzeth, hoc eſt, optimum ſaccharum quod candore niveo & micante, integritate & dulcedinis ſuavitate præſtat: Ejusmodi enim ſaccharo nulli ſpiritus venenati inſunt, velut id pluribus oſtendit *D. Sennertus cap. 18. de Chymicorum cum Ariſtote-*

ſtotelicis & Galenicis conſenſu ac disſenſu. Qui plura de ſacchari differentijs & conficiendi modo noſſe cupit, is præter allegatos in hoc capite autores inſuper *Bartholi Anglici lib. 17 de propriet. plantar. c. 193. Nova reperta Pancirolli tit. 5, et Munſteri Coſmograph. lib. 2. cap. 89* conſulat.

Quare verò ſaccharum optimum ad hanc Confectionem & præſcriptum Syrupum aſſumitur? Quia ſua ſiccitate & lentore efficit hanc compoſitionem durabilem; efficit etiam dulci gratoq; ſapore jucundam: Saccharum enim melle dulcius & calore ſiccitateq; uno gradu inferius eſt. Inde & ſaccharum panificijs additur, vinis miſcetur & carnibus aſpergitur. Satis igitur de ſaccharo, quod tùm lautitiâ, tùm utilitate ſuâ in culinis, in pharmacopœorũ officinis, in ſecunda & adverſa valetudine, in quavis ætate ſatis laudari nequit: ſequitur nunc Cinnamomum.

CAPUT IX.

De Cinnamomo, ejusq; Eſſentia.

A Roma hoc odoratum & tenuisſimarum partium *Dioſcoridi lib. 1 cap. 13, Theophraſto lib. 9 hiſtor. plantar. c. 5. Galeno lib. 1 de antidotis c. 13.* & alijs antiquis Græcis dicitur κιννάμωμον: quâ appellatione

etiam

etiam Latini, utpote *Plinius lib. 12 natur. histor. c. 19 & Solinus Polyhistor c. 43*, illud notant atq; *Cinnamomum* necnon *Cinnamũ* vocant. Arabibus & Persis *Darchini* vel *Darseni*, Italis *Canella*, Hispanis *Canela*, Gallis *Canelle*, Germanis Zimmet/Zimmetrinde/Zimmetröhrlein/Item Kanneel nominatur. *Herodotus lib. 3. qui Thalia inscribitur cap. 111. suæ historiæ* multa fabulosa de loco natali & collectione Cinnamomi tradit; quæ *Plinius lib. 12 nat. histor. cap. 19* jam ante aliquot secula rejecit, ~~tradidit~~. Quanquam etiam cũ *Herodoto Plinius* l. d. *Strabo l. 2. Geograph. Ptolomæus l. 4 Geograph. c. 8* pari consensu docuerunt regionem Cinnamomiferã in Æthiopia Troglodytis conterminã inveniri: tamen ex narratione solertissimorũ simplicium indagatorũ nostræ ætatis unanimi constat; neq; in Æthiopia, neq; in Africa, neq; in Asia minore, neq; in Perû, neq; in Europa Cinnamomum provenire. Quamobrem quæ ex recentium Medicorum ac Philosophorum per frequentatas ab illis regiones observationibus comperta sunt, hîc nonnihil attingere videtur operæ pretium. Siquidem orbis terrarum diuturnis illis & frequentibus navigationib⁹ jam satis est cognitus, præsertim Lusitanis, Hispanis, Venetis, Ita-

lis, Belgis & Gallis, unde ex ipsorum Medicis verior sententia de loco natali hujus nobilis aromatis, & quod etiamnũ in mediocri quantitate nobis suppeditetur, cognosci potest. *Garzias ab horto*, Proregis olim Indiæ Medicus *lib. 1. histor. aromati c. 15.* scribit, optimũ Cinnamomum in Zeilan Insula, quæ Arabib⁹ Tenarisim & Ternasseri, necnon terra deliciarum dicitur, reperiri. Illæ verò sunt Insulæ Sinus Bengalici & pertinent ad Indiam intra Gangem Orientalem habentq; polum elevatũ à sexto ad decimum gradum Latitudinis Septentrionalis & in super subjacent Longitudini 120 Grad. vel circiter, ubi arbores ob commodum situm non procul ab æquatore floribus aut fructibus delicatissimis perpetuò sunt onustæ. Videantur quoq; *Curæ posteriores Car. Clusij pag. 171.* Huic assertioni alij quoq; Viri gravissimi testimonium perhibẽt. Nam & *Iul. Scaliger exercit:* 144 Cinnamomum apud nos desijsse negat & in Zeilan & in Mutir, una ex Metuchis nasci scribit, *Amatus Lusitanus in suis enarrationibus in Dioscoridem* cõtendit nostrum Cinnamomum genuinum haberi debere, quod ex Zeila, magni apud Indos nominis Insula, importatur. Idem quoq; alij Medici ex ingenuis mercatorib⁹ explorarunt. Affirmat enim *Gabr. Fallo-*

pius in tractat. de materia medica in l. 1 Dioscorid. c. 17, se audivisse à Viro quodam fide digno, quod in Zeilam, Insula Indiæ Cinnamomum oriatur, quodq; plantæ rami quotannis excidantur & cortex Cinnamomum præbeat, serveturq; ad usum. Sic & *Franciscus Alexandri in Phæbo Medicorum p.* 102 commemorat, se pluribus in emporijs interdum vidisse Cinnamomum, si non præstantissimum, saltem præstantiori omnibus indicijs propinquum, & id ex Zeilam Insula allatum. Hisce accedit quoq; *Costæus in notis ad Electuar. de Cinnam. Mesue l. 1 f.* 98 quando ex commentarijs Indiarum nos doceri scribit, in Zeilam præsertim & Mutir Insulis optimum nasci cinnamomum. Nec desunt ipsi calculo *P. Pena & Lobel. in Adversar. Arborum p.* 425 *& seq.* dum se Cinnamomi folia corticem & surculum bacillo solido, fractu facili Cinamomæo cortice obtecto, cui etjam dum cuticella pullo colore obducta fuit in Officina Pharmacopoei Antuerpiensis vidisse, partim etiam à peregrinatoribus locum natalem audivisse liquidò asseverant. Quin etiam *Car. Clusius in scholijs ad lib. 1. hist. aromat. cap.* 15. *Garciæ* literis consignavit, optimum Cinnamomum in Zeilam Insula offendi in adjacentibus au-

tem Insulis Maldivis, Malavar & Iava bonitate inferius, minusq; selectum crescere, & tantum nomen Cassiæ ligneæ sustinere, eo quod odore, acrimonia & tenuitate Cinnamomum Zeilanicum non æquet: Hinc crassiore constat cortice & multo minore redimitur pretio, quàm Zeilanicum. *Thevetus* quoq; *Tom.* I *Cosmograph. lib.* 12. *cap.* 7. hisce assentitur, additq; propè Insulas Cavit & Subanin optimum Cinnamomum provenire, quod Malvarici Caäs-mani (vel ut *Scaliger exercit.* 144 f. 1 pronunciat: Caunama) appellant, quæ vox lignum dulce significat: Quanquam Thevetus in differentia inter Cinnamomum & Cassiam ligneam ab alijs dissentiat. Ex hisce patere arbitror, Cinnamomum verum nostris Medicis hodiè non esse incognitum. Describitur autem ab hisce Medicis Cinnamomum, quod sit secundus & interior arboris cortex ab exteriore cinerea pellicula non adeò crassa & distincta, veluti suber repurgatus, per se in tubulos vel graciliores fistulas convolutus, colore fuscus, odore fragrans, gustu & acrimoniâ linguam mordens & cum aliquanto fervore astringens. Lignum ipsum, quod ξυλοκιννάμωμον vocitant est inodorum & insipidum instar rami salicis, cui perquàm simi-

ſimile,ſicut inter alios etiam *Matthiolus in lib. 1. Dioſcor. cap. 12 & 13. & Coſtæus in Meſuen l.d.* quibus fruſtum integri rami cum ſuo cortice & ligno interiore dono obtigit hoc teſtificantur. Iconem hujus arboris vide apud *Lugdunenſes Medicos lib. 18. hiſtor. plantar. peregrin. cap. 37. pag. 1805.* Facilè etiam illis Medicis noſtræ ætatis ſubſcribo, qui inter hæc duo aromata, Cinnamomum & Caſiam ligneam nullam ſpecificam conſtituunt differentiam, utut ijs à Veteribus diverſa nomina fuerint impoſita, ſed ajunt ejusdē generis eſſe cortices, & tantummodò cœli ſoliq; varietate differre, ita ut Cinnamomum colore, fragrantiâ & acrimoniâ Casſiam ſuperet, quod tamen neq; de Caſſia fiſtulari ſolutiva, neq; de Caſſia Poëtarum ſed tantum de Caſſia Græcorum volo intellectum. Maximè enim hæ Caſſiæ tum inter ſe, tum à Cinnamomo ex parte diſcrepant. Contra verò cum recentiorib⁹ Medicis ſtatuimus, Cinnamomum & Caſſiam ligneam eſſe unius arboris corticem, & ob loci varietatem, bonitatemq; vnū aroma altero eſſe præſtantius: Siquidem nota Cinnamomi legitimi eſt, quod benè olentem & ſummè fragrantem jucundumq; ſpirat odorem; multum calidum ſaporem guſtantib⁹ præbet & cor-

tice tenui est præditum. Tale Cinnamomum naturæ optimæ Cassiæ quandoq; respondet, & ejusmodi Cassia optima parùm à bono Cinnamomo dissidet. Nam Lusitani Cinnamomum selectum minusq; selectum ex Insulis Zeilan, Malavar & Iava colligunt, atq; in Arabiæ oram, præsertim in Ormus, Persiæ celebrem civitatem & Insulam invehunt; Unde rursus in Alepum, caput regionis Comagenæ in Syria & Turcico imperio subjectum hæc aromatica merx importatur, atq; indè in Alexandriam, universamq; Europam per mercatores & institores Venetos, Hispanos, Belgas distrahitur, & tandem ad nos quoq; defertur. Cinnamomum quoq; ignobilius Cassiæ virtutibus simile ex Iava & Moluccis Amstelrodamum fuisse allatum meminit *Clusius lib.4. exoticor. c.2. & in histor. simplic. Nicol. Monard. c.* 15 & haud dubiè hodieq; isthuc affertur. Igitur optimum illud Cinnamomum est, quod odoris fragrantiâ, acri & linguam vellicante saporis suavitate corticisq; tenuitate est præstabile: Quod verò ab hisce bonitatis notis degenerat, non legitimo tempore cæsum vel externo aliquo malo depravatum & vel in calido nimis vel humido loco asservatum, quodq; multum de sua odoris saporisq; suavitate de-

deperdidit & erasſiore conſtat corticc, id Caſſiæ ligneæ nomen qualitatem & virtutes præ ſe fert. Et licet optimum Cinnamomum ſit ſummè tenuium partium, non tamen ſummè eſt calidum, ſed ex tertio ordine. Nihil autem eorum, quæ pari ſunt cum eo excalefaciendi virtute, æquè deſiccat, atq; Cinnamomum.

Cæterùm ſi ex Cinnamomo bonæ notæ confracto vel craſſius trito cum aqua & vino per balneum aquæ ferventis ſtillatitius liquor eliciatur, ille recenti ligno rurſus affundatur, tinctum ad ſiccitatem usq; abſtrahatur & relictum rubicundum extractum paucarum guttularum olei Cinnamomi additione vegetius reddatur, non eſt dubium, quin hæc eſſentia ſicca cum viribus veri Cinnamomi certare poſſit, & proprietates balſami cujusdam nativi excellentis atq; fragrantis obtineat. Hujuſmodi eſſentiam odore & ſapore ſuavem pergratamq; ad noſtram Confectionē Alchermes adhibemus: Ubi enim calefacere, aperire, incidere, digerere, vires naturales & vitales firmare, dolores ventriculi & inteſtinorum ſopire, menſes ſupreſſos & partus promovere, oris fœtorem emendare & faciei colorem commendare op⁹ eſt, ibi hæc Confectio rectè uſurpatur.

Qui plura de præparatione aquæ, olei essentiæ & de viribus Cinnamomi scire percupit, hunc adire jubeo ;*Thesauri Enonimi part. 1 pag. 352. Commentar. 2. Dialog. 7. Ioan. Guinther. Andernaci de oleis distillatis pag. 631. Andr. Matthioli Commentar. in lib. 1. Dioscoridis cap. 13. Crollÿ Basilic. in Oleo Cinnamomi, Syntagma arcan. Chymic. Libavÿ lib. 8. cap. 36. Medullæ Destillatoriæ partem primam Conradi Khunraths &c.*

CAPUT X.

De Ligno Aloes, ejusq́ resina & essentia.

HOc pretiosum lignum Græcis, ut poté *Dioscoridi lib. 1. cap. 21 P. Æginetæ lib. 7. cap. 3.* ἀγάλλοχον & recentioribus Latinis Agallochum. *Val: Cordo in Dioscoridem & P. Penæ ac Lobelio in adversariÿs arborum pag:428.* etiam Agallochus dicitur. A recentioribus Græcis, nempe *Aetio tetrabibl. 4. serm. 122.* & qui eum sequuntur *Actuario atq́ Simeone Sethi* ξυλάλοη h. e. Xyloaloe nominatur, forsan quod videatur colorem succi concreti aloes æmulari: Hinc & officinarum turba id lignum aloes communiter vocitat: Arabibus haud Agalugin seu Agalugen nominatur. Aliqui

id

id Tarum *Plinij lib. 12. natural. histor. c. 20* putant esse. Legitimum lignum aloes in India, Malaca & Sumatra nascitur & hoc ex loco deportatur. Utut superiori ætate Agallochi ortus & natales admodùm erant obscuri, majoresq; nostri illud ex Paradiso & fluminibus ejus ad nos advehi credebant. Etenim quod hodiè multi & crassissimi ejus arboris rami nonnunquam è Calecut atq; Alexandria Ægypti Venetias deferantur, Medici gravissimi testantur: *Costæus in Mesuen de Electuario Xyloaloes, Lobelius in Adversar. p. 428. Matthiolus in Dioscoridem l. d. Franciscus Alexandri in Phœbo Medicorum statim in initio, necnon Medici Lugdunenses lib. 18. histor. peregrin. plantarum cap. 12.* Quod etiam ex India in Ulyssiponem & Hispaniam per naves onerarias importetur. *Car. Clusius in scholijs historiæ Exoticorum Garciæ ab Horto lib. 1. cap.* 16 fidem facit. Notæ bonitatis hujus ligni & differentiæ ab alijs, Aspalatho, Ebeno, Santalino ex colore, odore, sapore & pondere. Hoc enim legitimum & selectum agnoscitur lignum aloes, quod est fusci vel multum nigricantis coloris, cinereis discurrentibus venis, quod carbonibus aut ignium flammis expositum diu resistit, ægriusq; accenditur, atq; accensum perjucundum

ſpirat odorem; quod guſtu aſtringenti, præſicco & ſubamaro eſt præditũ; quodq; eſt nodoſum & ponderoſum. Nam Agallochum ab hiſce notis alienum, tanquam illegitimum meritò rejicitur. Calefacit autem & exiccat ordine ſecundo. Quando etiam in ſacris literis *Canticor. IV*, 14 de ſponſa Salomonis dicitur, quod lectulum ſuum odoris gratiâ conſperſerit myrrha, cinnamomo & aloe, illis Theologis asſentior, qui malunt hoc lignum aloes, ſemper ad res odoratisſimas à Regibus expetitum intelligere, quàm ſuccum concretum herbæ amaræ aloes. Is enim inter odorata nõ refertur. Num etiam locus Numerorum XXIV, 6. & *P*ſalmi XLV, 9 de Agallocho accipiend⁹ ſit, id Theologis diſcutiendum relinquimus. Illud certum eſt, quod lignum aloes ſuavisſimũ ſuffitum & jucundum odorem conciliet. Cæterum Vires & facultates ejus *Dioſcorides lib. 1. cap. 21*, ut & Arabes *Avicenna lib. 2 de viribus cordis c. 733 & c. 14 de Agalugen*, *Serapio de temperament. ſimplicium cap. 197. Meſues lib. 1 de Electuariis Rhaſes lib. 3 de re medica c. 22* diligenter deſcripſerunt. Annumerant autem iſti omnes hoc lignum medicamentis, quæ cordi præſidio ſunt, immò quæ, teſte Avicennâ, omnia viſcera vegeta conſervant

vant

vant, debiliq; stomacho conferunt: Unde & à Mesue ad confectionem Alchermes jure fuit assumptum. Nos etiam ad hanc Confectionem ex frusto ligni aloes ponderoso, nodoso, nigricante, pingui humore referto, omnesq; proprietates laudabilis Agallochi habente cum Olympico rosarū spiritu essentiam extraximus, & præcipitando in resinosum pulverem convertim⁹, non multū amaro sapore præditum & adversus cordis ac ventriculi affectus non inefficacem.

CAPUT XI.

De Ambra, ejusq; essentia ad Confectionem siccam Alchermes.

POst cinnamomum & agallochum, aromata nobilia sequitur in compositione Alchermes pretiosum odoramentū parsq; basis hujus Confectionis, Ambra. Hoc autem nomen antiquis cùm Græcis tùm latinis Medicis ignotum & ideò barbarum est. At apud recentiores Græcos, *Aetium tetrabibl. 4. cap. 134, 137, 140 & S. Sethi lib. 1 & 16 de alimentor. facultatibus* modò Ἄμβαρ modò Ἄμπαρ pronunciatur. Hinc Latini Medici ætate posteriores ad flexionem latinam Ambar Ambaris in neutro

 gene-

genere, necnō AmbarūAmbari, ut ex Σάκχαρ fit Saccharum, itemq; in fœminino frequentius Ambra Ambræ dixerunt. *Hermol: Barbarus Corollar.* 119. *Georg: Agricolæ lib.* 4 *de natura fossilium c.* 15, *Alexander Benedictus, Monardes, Fuchsius* & alij vocant etjam Succinum Orientale, item succinum Asiaticum, Arabicum & Indicum. Nam Mauri ejusmodi succinum appellant Ambram, ut apud *Avicennam lib.* 2 *de Viribus cordis tractat,* 2, *cap.* 63 *Mesuen in Electuar, Diambræ, Rhasen ad Mansor; lib,* 3. *cap,* 22, *Serapion, lib, de temperam, simplicium c.* 196 *Avenro, lib,* 5. *collig, cap,* 56 videre est. In ambræ generatione variant Medici, quia valde difficile est speciales singulorum ortus quærendo investigare, multisq; sufficit in generalibus subsistere & acquiescere. *Serapio l, d* existimat ambram generari in maris alveo instar fungi in terra, & quando mare turbatur, è fundo ejus lapides magnos & cum ijs quoq; frusta ambræ ejici. Etsi verò fungi interdum valdè odorati in Pisanis collibus & Pyrenæis inveniuntur, & quorundam animalium stercus, quale scilicet est martis & viverræ tesqua perambulantis: Tamen nullus fungus constat merâ pinguedine & à calore totus eliquatur, sicut ambra; nec verisimile est ex mul-

tis

tis fungis unum fieri, qui centum, ducentarum, trecentarum & plurium etiam librarum pondus exæquet, quemadmodum in historia novi orbis apud *Ioh. Hugonem Linscotum*, apud *Garciam ab Horto lib.* 1, *Histor. aromat. cap* 1, *Occonem in Dispensator. Augustani commentar. super Diambra* & alios legitur, anno 1555 in Brasilia repertum esse frustum ambræ 300 pondo in littore maris arenâ penè obrutum. Sæpè etiam, inquit, Linscotus, inveniuntur frusta 10, 12, 50, 60 spithamas longa. Et quum hæc scriberem vidi apud Pharmacopœum nostrum Dethardingum fragmen non exile ambræ è Belgio allatum, cujus integrum frustum rotundæ & cylindraceæ figuræ, aliquot pependerat pondo. Veri ergò simile non est, ambram instar fungi in mari crescere. Veruntamen si quis benignius velit interpretari verba Serapionis, quasi dixerit, ambram esse fungosam pinguedinem è terræ fontibus manantem concrescentemq; tunc hoc sensu admittim⁹. Complures etiam Medici & Philosophi inveniuntur, qui crediderunt, ambram aliquid è piscibus cetaceis esse. Nam hujus sententiæ patroni sunt inprimis: *Ruellius lib.* 1 *de stirpibus c.* 17. *M. Paulus Venetus in suis navigationibus. Alexander Benedictus lib.* 13. *de*

cu-

curandis morbis cap. 26. Le. Fuchsius lib. 1. de Composit. medicament. cap. 20. Gab. Fallop. de composit. medicament. c. 31. Cardanus sub finem lib. 3 de rerum varietate & lib. 5. Subtilitat. de mixtis imperfectis. Scaliger Exercitat. 104 sect. 10. C. Clusius in histor. aromatum lib. 1 cap. 1. Nam ducuntur hisce argumentis, quod ambra in quibusdam balænis reperiatur, & quòd ubi balenæ sunt multæ illic etiam magna ambræ copia colligatur, ut in Britannico mari; quodq; Marochi incolæ balænam nuncupent ambara. Verum enim verò etsi concedimus, ambram quandoq; in cetaceis piscibus esse inventam, vel ab ijsdem per os egestam: Tamen venatu alimentorum in mari hanc ab illis fuisse absorptam, non verò in ijs genitam statuimus, idq; etiam de omnibus verum esse, si experientiam consulimus, negam⁹. Etenim si ambra aliquid est è cetaceis piscibus vel est semen eorundem, quod excidit, dum in venerem ruunt, vel est pinguedo vel aliquid carnis vel excrementum eorum & in qualibet balæna reperitur, immò tunc necessariò ubi cete sunt, etiam datur ambra Atqui nihil eorum fide comprobat experientia. Quandoquidem mari Æthiopico & Atlantico non minus balænæ quam Britannico innatant, neq;

mi-

minùs illîc capiuntur & occiduntur, quàm hìc, nulla tamen ambra isthic colligitur. *Linschottus* enim *in suo itinerario ac naviga-tion. Indicis* commemorat circa littus Biscaiæ Hispaniæ nullam observari ambram, etiamsi multæ balænæ ibidem captentur. Sic & *Eduardus Lopesius in historia Ind. & Io. Eus. Nieremberg. lib.* 11 *histor. natur. cap.* 59 referunt, juxta Insulam Loandam in parte Africæ Nigritarum plurimas balænas pugnaces conspici, quæ prælium ineuntes sese mutuò conficiunt & ab incolis extinctæ & è mari ejectæ in littore inveniuntur, è quarum pinguedine unguenta faciunt, quibus naves picis loco illinunt. Neq; tamen hîc ambra grisea, neq; candida, neq; nigra legitur. Quin etiam si meam consulo experientiā, scio mare Balthicum in vicinum Stetino veteri Pomeranorum patriæ meæ carissimæ, litt⁹ Anno Æ.C. [illegible]o & 1640 cetaceos pisces eructasse, quorum uterq; dissectus & distractus est, in neutro tamen, neq; in littore, ambra fuit reperta. Itaq; ex hisce efficitur, ambram non esse balænæ partem, quum multis oceani partibus illæ innare soleant, in quibus nulla datur ambra. Quamobrem nec illis astipulari queo, sed poti⁹ alijs, qui volunt ambrā esse bituminis sicci genus, quod instar suc-

cini Europæi è fontibus in alto mari manans aeriq; expositum densatur & in littus ejicitur. Hujus sententiæ autores sunt Avicenna l. d. *Sim. Sethi in lib. de aliment. facultat. Nicol. Monardis in histor. simplic. medicament. c. 7. Jo. Hugo Linscot. in 2 part. navigat. Oriental. c. 19. & Bernh. Paludanus in annotationibus G. Agricola lib. 4 de natur. fossili c. 15 Ioan. Costæus in annotation. ad Electuarium Diambri Mesuæ, Bernh. Dessenius lib. 1 de composit. medicament. Cæsalein. lib. 1 de metallis c. 34. And. Libavius part: 3 singular. lib. 4. cap. 3. D. Bartholinus & D. Sennertus in Physicis.* Nam quia à solertibus naturæ indagatoribus observatū est, ambram habere suas scatebras & fontes in mari, è quibus hic succus terræ emissus instar petrolei vel halosanthos profluit & posteà densatur, ut asphalthū vel succinū, ideoq; in numero bituminum rectè ponitur. Iam verò non est sulphur, quod ardet, fœtet & spiritus salinos acidosq; continet, multò minus est arsenicum vel auripigmentum, quod deterius & venenatum sulfur complectitur: Sed quia facilè liquatur, oleo fragrante scatet, in Oleū facilè mutatur & in oleo dissolvitur jccircò bituminū speciebꝰ suæ naturæ essentiâ respondet. Quippe mediæ naturæ est inter succinum & halosan-

losanthos, seu florem maris, qui in pharmacopolijs communiter sperma ceti audit. Succinum enim habet vitream consistentiam atq; sale volatili & chalcanthino est præditum: in pinguedine verò lentore & odore propius accedit. At sperma cete est mollius, nec ita friabile, ut ambra; Pinguedine autem & lentore permagnam cum ambra habet affinitatem. Sic quando instar petrolei è fonte terræ scaturit, non multũ ab hujus quoq; natura abesse deprehenditur. Nam omne bituminis genus est succus terræ è scatebris terræ vel petræ manans aut liquidus aut siccus. *Crato in libr. de cura febris pestilentialis & in Epistolis ep.* 126 *& ep.* 137 existimat ambram fuisse Veterum sulphur, quo in morbis pectoris usi fuerunt. Verum Libavius l. d. observat, quod Crato paulò post se ipse corrigat, addatq; inesse ambræ sulfur: Ubi videtur loqui more Chymicorum, qui per sulphur omnẽ oleosam & unguinosam in re mista substantiam intelligunt. Rectè igitur ambra una cum bituminis speciebus annumeratur. Et quod inprimis succinum nostrum Pomeranicum attinet, certum est, quod, si ex eo citra ἐμπύρευμα oleum destilletur & in eo succinum emolliatur, non leviter fragret & aliquem ambræ odorem

præ

præ ſe ferat, niſi quod halitus ejus ſit nonnihil gravis ob naphthâ ſuccino incluſam. Hinc non abs re ambra ab *Hermolao Barbaro* ſuccinum orientale fuit dicta & nonnulli ſunt in ea opinione *Plinium lib.* 37. *nat. hiſtor. cap.* 2 de ambra loqui, quando ſcribit, ſuccinum, quod in India naſcitur, gratius thure eſſe Indis: Et alij per fulvam chryſeam vel auream ac citrinam ambram intelligunt ſuccinum. Tametſi verò Autores tres enumerent ambræ ſpecies, nempe albam, griſeam & nigram: Tamen griſea omnium optima eſt, quæ ad cineritium & remiſſiorem glaucum colorem vergit & cuj⁹ extima ſuperficies nigrâ quadam pelliculâ, ceu tunicâ ſolet obduci, præſertim ſi ſit odorata & fragrans; ſi ad candelam vel alium calorem igneum, ut pura reſina, liqueſcat, ſiq; etiam immiſsâ candente acu fragrantem & oleoſum liquorem vel aliquod ſebum excudet, et tandem ſi papyro affricata nullam poſt ſe relinquat maculam. Ejusmodi recens ambra ſecundo gradu calida & ſicca ſtatuitur & recti⁹ in eburneis vel aureis vel argenteis quàm plumbeis vaſis asſervatur, & à nimio calore partes ejus tenues odoratasq; disſolvente & perdente defenditur. Hiſce bonitatis notis genuina & recens ambra ab exoleta vel adulterata facilè diſcerni, eaq; fra⁹ de-

prehendi poteſt. Solent enim impoſtores eam ex gypſo, cera, ladano & probata ambra, vel ex aſa dulci, cera candida novi examinis, carie fraxini & arborũ muſco, aut ex ſtyrace, ladano & Xyloaloes ramentis, addito utrobiq; moſcho & Zibeto, ementiri ſicut Coſtæus ex Avicenna & Agricola de hac fraude monuit. At factitia ambra legitimam neq; colore neq; odore aſſequitur & faciliùs in aquis molleſcit, quàm naturalis, plerumq; etiam maculam in papyro vel pinguedinem oſtentat. Ambram bonam mittit Florida, novi orbis provincia, quidam Æthiopiæ tract⁹, mare Britannicum, Aquitanicum, Indicum, interdum etiam Luſitanicum. De Virtutibus & facultatibus Ambari Medici paſſim agunt. Nam ad unum omnes ei tribuunt efficacitatẽ humores excalfaciendi, incidendi, attenuandi, cor, cerebrum, nervosq; proprietate roborandi, ſyncopem tollendi, ſtomachum firmandi, appetitum excitandi, flat⁹ diſcutiendi, epilepſiæ & alijs cerebri affectib⁹ à cauſa frigida opitulandi, melancholiâ, aſthmate & alijs pulmonum affectibus nec non febre peſtiferâ laborantibus medendi. Eſt tamen ſenibus & naturâ frigidioribus, quàm juvenibus & calidioribus accommodatius. Ambar igitur lapidis angularis vice in hac Confectione fungi-

tur, ſicut ex virtutib⁹ ejus rectè colligitur. Quoniam autem nos hanc confectionem in forma liquida & ſolida paramus, ideoq; etiam ambram duplici modo admiſcemus, uno per ſe, altero in egregium, candidumq; magiſterium ſiccum converſam. Liquida enim confectio recipit ambram puram & probam, quæ in ſyrupo de pomis compoſito ſupra capite ſecundo deſcripto diluitur, ad minima cum eo miſcetur & cum cæteris ingredientibus in formam Electuarij redigitur. At in Confectione Alchermes ſolida ambar aliter tractamus, idq; in ſubtilius corpus beneficio ſpiritus roſarum reducimus, quod toti ambaris ſubſtantiæ tàm odoris ſuavitate, quàm partium tenuitate præſtat. Nam partes duas ambari minutim conciſi & unam moſchi electi bonæq; notæ accipimus, eas in phiolam vitream oblongi colli reponimus, quibus ſimul junctis ad ſeſquidrachmam corporis ſpiritus roſarum optimè fragrantis & ex toto flagrantis ſeſquiunciam vel circiter ſuperfundim⁹, phiolæ orificio alembicum convenientem applicamus & juncturis benè clauſis in calente Mariæ balneo ſtatuimus, ut ſpiritus leniter ebullientes eſſentiam & reſinam puriſſimam omnibus proprietatibus ambræ & moſchi imbutam extrahant. Quod quando factum, tunc ſpi-

ritus rosarum tinctus leni brachio depletur & in aliud vas aquâ rosarum vel simplici fontanâ humectatum transfunditur: Ita fit, ut essentia ambræ & moschi confestim instar resinæ coaguletur, fundumq́; petat. Dehinc spiritus rosarum suâ tincturâ liberatus decapulatur. Resinosa verò essentia reliqua tantillo sacchari candi vel manus Christi simplicis excipitur, quantillo opus est, ut commodè in pulverem conteri & cum alijs partibus Confectionis alchermes solidæ misceri possit. Hæc essentia ambræ etiam per se vel in ovo sorbili recente vel vino, vel syrupo, aquave idoneâ in prænarratis affectibus, quibus ipsa ambra convenit, exhiberi potest: Majori enim jucunditate odoris ac penetrandi virtute pollet. *D. Joh. Hartmannus in procœmio suæ Practicæ Chymiatricæ pag:* 18 Ambram rectificatam describit, cujus præparandæ modũ quoq́; *D. Joh. Car. Rosenberg. part.* 2 *suæ Rhodologiæ cap.* 23 inseruit, eamq́; medicamentum imperiale & regium appellavit, & insuper mirificè commendavit. Iudicet autem æqu⁹ Chymiater, nunquid hæc essentia ambræ jam hîc descripta cum illa altera D. Hartmanni & Rosenbergi collata & odoris fragrantiâ & λεπτομερεία & coloris gratiâ certare, atq; si non palmam

præ-

præripere, tamen cum illa certè paria facere possit? Hujus Essentiæ drachmas duas nostra Confectio Alchermes solido admittit. Sed de ambra satis, sequitur etiam aliquid de moscho.

CAPUT XII.

De Moscho.

HOc pretiosum odoramenti gen⁹, quod è vomica animalis cujusdam peregrini capreæ similis erumpit, *à S. Sethi libr.* περὶ ἰσοφῶν δυνάμεως (qui perperam à nonnullis Aetio tribuitur) μόσχος appellatur. Inde à Latinis Medicis recentioribus Moschus communiter vocatur. Etenim neq; Veteribus Græcis neq; Latinis hæc medicamentosa animalis exotici pars nota fuit. Græci quidem Medici Galeno posteriores, utpote *Aëtius lib. 4. tetrabibl. serm. 4. P. Ægineta lib. 7 Actuar. lib. de composit. medicament. Nicol: Myrepsus in compositione* Μυσίνυ ἐλαίυ Moschi meminerê; sed non descripserê: Quia ex Arabum libris tantùm transscripsisse videntur. Quippe *Avicennis lib. 2 tract. 1 de viribus cordis c. 461 Serapio c. 185 de temperamentis simplicium Mesues lib. 1. Grabadin in Electuario dulci ex Moscho,* Mauritani Medici, de natalibus & viri-

viribus Moſchi aliquid literis conſignarunt. Et poſt eos *S. Sethi in ſyntagmate ſuo Græco de aliment. facultat. quod Lil. Gyraldus latinũ fecit* de Moſchi generib⁹ & proprietatibus hujus animalis diligenter egit. Evolvatur *Conr. Geſneri lib.* 1 *de quadrupedibus animalibus lit. M de Moſchi capreolo*, ubi verba hujus Sethi recitantur. Tametſi verò hi & alij autores in deſcriptione animalis quod Moſchum fundit & in ejus collectione nonnihil variant: tamen in eo cõveniunt omnes, moſchum eſſe aliquid odoratisſimum & acutisſimum ex animali barbarico, formam capreæ referente, collectum. *Cardanus lib.* 10 *ſubtilitat. de animalibus perfectis* ſcribit, ſe Mediolani mortuum hoc animal vidisſe, quod magnitudine, formâ ac pilis, niſi quod illi magis glauci & crasſiores ſint, capreolo ſimile fuerit, & dentibus ac odore inprimis à capreolo ſaltem diſtulerit. Nam hoc animal duos dentes ſupra & totidem infra gerit, prominentes & exertos ut teſtatur *Melichius* Pharmacop. Venetus *in ſuo Diſpenſator. Medicō num.* 11. Et *Anton. Muſa Braſavolus lib. de medicament. uſitat. ſimplic.* in moſcho commemorat, ſe Venetijs mercatores conſpexisſe, qui Alphonſo Duci Ferrariæ hoc animal, quod Itali Gazellam nuncupant, vendere

dere voluerunt, moschum in folliculo habens, & addit, quod ejusmodi animalia in Italia quidem moschum, si habuerint, cum eò convehuntur, maturent, non autem denuò emittant, vel si emittunt, ineptè saltem, id quod putat ratione cœli, aeris & penuriâ earum rerum, quibus victitat, evenire, unde & in alieno solo brevivitâ abit. Sive igitur hanc feram capream, dorcademvè sylvestrem & peregrinam moschiferam, sive animal moschi exoticum, præeunte Gesnero & alijs, appelles, non peccabis. Invenitur autem hæc fera moschi caprea in India & vicina Tartaria, quæ est Sarmatia Asiatica & veterum Scythia: quo celebriora loca, nempe Cataya, metropolis Magni Chami Regis Tartarorum, Thebet, Tenduch, Cambalu &c. spectant. Scribunt etiam nonnulli, hasce Dorcades moschiferas in China, Persia, Africa & Ægypto reperiri, ut ex autoribus à Conr. Gesnero allegatis patet. Huic feræ in montibus oberranti & liberè vaganti juxta umbilicum intercutem & carnem abscessus ex sanguine putri, exonerante sese naturâ, innascitur & instar folliculi in carne pilosa extuberat. Videtur enim hoc animal isto excrementitio humore secundum naturam laborare, sicut mulieres sanguinis menstrui vel qui-

dam

dam viri hæmorrhoidum profluentiæ obnoxij ſunt, nec diu vivere poſſe, niſi ita expurgetur. Poſteâ repletâ multâ ſanie vomicâ incipit ægrotare, cibo potuq; abſtinere, humi crebro volutàri, atq; ad ſaxa & arbores abſceſſum folliculo incluſum fricare ut rumpatur: Ruptâ vomicâ effluit ſanies, quæ quidem primùm eſt liquida & grâve olet. At calor ſolis ambiens non modò effuſum purulentum ſanguinem denſat, ſed & ejus odorem commendat. Indigenæ verò exactè nôrunt illa loca arbuſtiva in quibus hæ feræ verſantur & lapides expeditè ex ſe agnoſcunt, quibus emiſſus cruor ſânioſus & jam à calore ſolis reſiccatus ac concretus adhæret, qui collectus præbet odoratiſſimum moſchum, *Gabriel Sionita & Iohan. Heſronita in deſcriptione Arabiæ cap.* 5, qui teſtes oculares volunt eſſe, narrant quod captâ hac ferâ ab incolis ea pluribus uno eodemq; loco ictibus feriatur, adeò ut ſanguis in unum coeat locũ, abeatq; in abſceſſum: Poſtea vomica filo conſtricta exciditur & ſuper dorſum animalis exiccatur. Ita enim poſt unum menſem ſanies in moſchum ſuaveolentem converſa deprehenditur. Nam in hac vomica, cui corium cum pilis eſt an-

nexum paulatim ſanguis iſte purulentus craſſeſcit & in eo moſchus perficitur probatisſimns. Alterum etiam collectum moſchum incolæ in folliculos ferarum, quas venatu captaverunt, exinanitos recondunt, atq; in ijs grandi pecuniâ divendunt: Et ejusmodi corium piloſum hujus feræ, ad modum folliculi efformatum ſinceroq; moſcho plenum, inter magnifica numeratur munera: Quin etiam hæc coria moſcho inania ob gratiam odoris pretioſis veſtimentis apponuntur, ut ijs odoris ſuavitatem concilient & adverſus cariem tineasq; uſui ſint. Bonitas Moſchi laudatur, ſi odore tam validus exiſtit, ut contentus in corio & naribus jejunis admotus ſtatim ſanguinem proliciat. Hinc quidam mercatores moſchū empturi naribꝰ obturatis & reſpiratione cohibita ad medium lapidis ictum currunt, & indè attrahentes aërem ore, ſi moſchi odorem naribus percipiunt, coëmunt & probant. Proinde qui moſchus eſt odore valentisſimus, ille eſt probatisſimus. *Ludov. Vartomannus navigation. lib. 7. Cardan. lib. 17. Variar. cap. 97. Coſtæus lib. 2 de Electuar. in Meſuen. Scaliger Exercit. CCXXI ſect. 6. Fallop. in l. 1 Dioſcor. c. 23.* Indicium quoq; boni Moſchi habetur, ſi ponderatus in pel-

pelvim aut malluvium madens humensq; deponatur, tum aliquantò post iterùm æquâ lance appendatur; siq; appensus pondere superet non adulteratus putatur: Sin verò nihil ad stateram ingravescit, tunc illegitimus minusq; sincerus judicatur. *S. Sethi Gyraldo interprete.* Color Moschi plerumq; solet esse ferrugineus: Nam etsi Avicenna Citrinum præfert, tamen hodiè id coloris non reperitur. *Sylvius lib. 1 de natur. medicament. simplic.* Asservatur in grandioribus plumbeis vasis, gaudetq; crasso humidoq; aere. Hinc odoris amissi vim fœtori cloacæ in vase vitreo expositus recuperat & fit redivivus, quod Bernh. *Dessenius lib. 7 de composit. medicamentor.* usu verum comperit. Avicenna & nonnulli alij moschum calidiorem sicciorémq; ambrâ uno gradu constituunt. Cæterùm moschus imbecillas partes roborat, caput frigidum confirmat sed calidum offendit. Quos vires cordis sanguisq; defecêre, revocat. Cardiacis affectibus opitulatur, sed pallore utentium membra decolorat. *Gorræus in definitionibus Medicis.* In substantia moschus recens, purus & probatus ad humidam Confectionem Alchermes assumitur: ad siccam verò cũ ambra sincera miscetur, & in formam so-

lidioris & odoratissimi magisterij redigitur eo artificio, quod superiori capite expressum est.

CAPUT XIII.

De magisterio Margaritarum:

TEmpestivum nunc etiam est aliquid de margaritis in medium proferre, eò quod & hæ sint primaria pars hujus Confectionis, & medium quasi obtineant locum inter animalia & lapides pretiosos: Quia in animalibus marinis nascuntur & simul gemmis pretiosis propter mundum muliebrem annumerantur. Notum igitur est, quod Græci & Latini *margaritam*, illi in masculino, hi in fœminino genere, interdum etiam in neutro dixerint. Nam *Varro apud Non. Marcell. cap. 3. C. Tacit. in Agric. Macrob. lib. 1 Saturnal. c. 4. Jul. Solinus cap. 66. Servius in 1 Æneid. & Statius lib. 6 Thebaid. Margaritum* pronunciârunt. *Unionem* quoq; *Plinius lib. 9 natur. histor. cap. 35. & Solinus loco* dicto margaritam eâdem appellatione signârunt, non quod duo simul nunquam reperiantur, ut Solinus perperam existimavit, quum complures in una Concha inveniantur; sed quod ea nunquam duos vel magnitudine, vel colore, vel figu-

râ,

râ; adeoq; indiscretâ specie, inter se simi-
les possideat. Officinæ & vulgus *Perlas* quoq; nominant. Nascuntur margaritæ in conchis quibusdam marinorum animalium, seu in piscibus testaceis non multum Ostrearum conchis dissimilibus. At non generantur ex rore, ut *Plinius l. d.* tradit, sed potiùs ex abundante humore, qui testæ adhæret, eoq; subindè aucto in unionem abit; Non secùs quàm in fellis & urinæ vesica lapides, in suibus grandines, in gammaris lapilli & in capris Indicis, multis condensatis cuticulis, lapis bezoar existit. Qui generandi modus *Rondeletio lib.* 1 *de testaceis cap.* 51. *Gesnero lib.* 4. *de Aquatilibus & in specie de margaritis. A. Boetio de Boodt lib.* 2. *cap.* 37 *histor. gemmar. & lapid. Ul. Aldrovando lib.* 3 *de testaceis cap.* 42 probatur. In maris Persici Insulis plurimi & laudatissimi Uniones generantur ac colliguntur. *Athen. Dipnosoph. lib.* 3. *qui margaritæ Orientales* respectu situs nostræ Europæ perhibentur. Generantur etiam in regno Lusitaniæ, Sinarum regione, in quibusdam novi Orbis locis, in Scotico & Anglico sinu maris, in Bohemia, & in conchylijs, Ostreisve, ut apud *Clusium lib.* 1 *histor. aromat. cap.* 57. *ex Garcia ab Horto* videre est. Quamvis au-

tem Uniones Roman⁹ luxus olim in convivia, Plinio autore lib. 9 natur. histor. c. 35 & fœminæ in suorum corporum ornatum traduxerint: Tamen & illi, qui sunt candidi, rotundi, splendidi, lævore præditi imperfossi, duri, etiamsi sint minuti, ad medicos usus seliguntur & adhibentur. Quippe proprietate suâ cor roborare & putredini circa ipsum resistere, melancholicis affectibus mederi, cruentum alvi menstruorumq; fluxum sistere, febribusq; pestilentib⁹ ac venenis adversari creduntur, sicut eorum vires Arabes Medici, e. g. *Avicenna lib. 2 de viribus Cordis, Serapio cap. 287 de temperament. simplic. & Mesues lib. 1 Grabad. in Electuario Diamargariti calidi ac frigidi* diligenter inquisiverunt & in præfatis morbis nobis commendârunt. Serapio ex Rasi uniones in secundo gradu frigidos ac siccos esse affirmavit. Alij verò Medici eos temperatiores uno gradu dicunt esse, quibus & evidens ratio & experientia astipulatur. Quapropter Mesue margaritas rectè ad Confectionem Alchermes expetivit. Nos arte Spagyricâ crudas margaritas nullam vim ignis passas & in marmore porphyretico tritas in magisterium candidissimum, subtilissimũ, purissimum, & omnis acrimoniæ expers

redi-

redigimus, ut facilè in aqua dilui & citiùs à calore nativo in actum deduci possint. Etsi verò variæ dantur unionum solutiones, vel cum aceto destillato, vel cũ succo limoniorum, aut berberorum, vel cum spiritu ligni querni vel vini alcolisato vel nitri vel salis gemmæ: Tamen mihi nullũ convenientius ad parandum unionum magisterium Phlegmate Vitrioli acidulo, quod & ros Vitrioli à quibusdam dicitur, videtur esse. Nam & hoc per se calorem febrilem obtundere & putredini resistere solet. Quamobrem si ros hic Vitrioli acidus margaritis crudis non perforatis & in pollinem conversis affundatur, sumendo liquoris octo partes vel circiter, & pulveris unam atq; in loco calido detineantur, ut acetum Chalcanthinum ebulliat, tùnc liquescent margaritæ. Liquor per chartam bibulam trajectus, si ei Oleum ejusdem substantiæ ad sufficientem quantitatẽ affundatur, incipit crassescere, & facit margaritas instar spermatis ceti subsidere. Quicquid materiæ subsederit, deliquato fluido, primùm aquâ fontana simplici & ultimò aquâ rosarum edulcetur, eòusq; donec nihil acrimoniæ in defusa aqua gustu deprehendi poterit. Ita enim magisterium margaritarum sub-

 tilis-

tilissimum, nivis instar candidum & planè insipidum, alienæq; acrimoniæ expers obtinetur. Atq; hoc procul dubio est menstruum, quod tantoperè commendat *D. Glückradt in notis ad caput 19 Tirocinij Chymici Beguini*, ubi agit de magisterio Perlarum & Corallorum. Ejusmodi magisterium pulveremq; impalpabilem & instar farinæ mollem ad nostram Confectionem Alchermes assumpsim⁹, ut promptiorem operandi virtutem inde acquireret. Utrum verò hoc magisterium Phthisicis & Hecticis respectu febris & ariditatis, auxilij quicquam conferat, an verò secus? lege de hac quæstione *aphorism. 27 sect. 2 in synopsi Chymiatrica Angeli Salæ*; nos enim hîc ei nolumus immorari, quum notum sit, quod ea medicamenta, quæ non insigni humectandi facultate prædita sunt, per se in phthisi exhibita parùm proficere queant. Interim non negamus, magisterium margaritarum præfato modo cõfectum & cum humectantibus medicinis mistum in febre hectica utile esse posse, eò quod putredini circa cor resistat, & qualitas Unionum modicè refrigerans & exiccans additione aliorum simplicium hebitetur.

CA-

CAPUT XIV.

De magisterio Coralliorum rubrorum.

QUum Corallia etiam inter gemmas & lapides pretiosos referantur, & secundùm Arabes Medicos non minùs quàm margaritæ cor roborent, ideoq; eorũ magisterium ad Confectionem Alchermes recepi. Est autem Corallium frutex marinus lapidescens & expassis ramis in modum Virgulti crescens. Græcis dicitur Κοράλλιον *Dioscor. lib. 5. cap. 97. Galen. l. 7 de composit. medicament. Oribas. lib. 3 lit: C. Ægineta l. 7 lit: K.* Hinc & Latini formant *Corallium*, ut *Ausonius Edyll. 3 vers. 69*:

Quum virides algas & rubra *corallia* nudat.

Et *Claudianus in Carm. de nuptiis Honorii & Mariæ vers. 169.*

Mergit se subitò, vellitq; *corallia* Clotho.

At *Solinus Polyhistor. cap. 8 Coralium* vocat, ut & *Ovidius lib. 4. Metamorphos. vers. 750.*

Nunc quoq; *Coraliis* eadem natura remansit.

Et lib. 5 Metamorphos. vers. 416.

Sic et *coralium*, quo primum contigit auras

Tempore durescit, mollis fuit herba sub
undis.

Theophrastus in lib. de lapidibus pag. mihi 396
Κουράλιον appellavit, ἀπὸ τῆς κουρᾶς, id est,
à tonsura sive à radendo.

Sidonius Apollinaris in Epithalam vers. 234
Corallos nominat, inquiens:

Lactea puniceo sinuantur colla *Corallo*.

Idem frutex ab effigie, duritie & natali solo Græcis λιθόδενδρον perhibetur, cujus *P. Ægineta l. 7 mat. medic. in K* hanc causam affert: Κοράλλιον, ὥσπερ δενδρῶδες ἐστι φυτὸν ἀπολιθούμενον, οὐκ ἐν χέρσῳ φυόμενον, ἀλλ' ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης. Hoc est: *Corallium lapidea quadam planta est: Arboris namq; modo crescit, & in duritiem lapidis concrescit, non in continente, sed in imo maris:* Ex quib[9] colligitur, plantam lignosam sub aquis in corallij formam abire, dum succus lapidescens vel alimentum saxeum corpus ligni subit, id alterat & in suam naturam lapideam convertit; nam verisimile est, fruticem hunc non aliter atq; reliquas herbas marinas algam, Corallinam, quercum, quæ lithophyton marinũ à Gesnero nuncupatur, crescere, & tandẽ, agente in plantã succo lapidifico & intimas illi[9] partes permeãte ac transmutante

tante emori,atq; ita demũ totam hanc lapidescere :Observatum enim est ex coctilibus lapidib⁹ in mari submersis corallia provenisse. Quod autem Corallium lapidescat, reliquæ verò plantæ non, id cũ *Boetio de Boodt lib. 2 gemmarum cap.* 153. cùm singulari istius plantæ dispositioni, tùm succo lapidescenti, qui ei inest & facilè lapideam formam induere cogit, asscribimus. Porrò Coralli tres inprimis dantur colorum differentiæ: Aliud enim est rubrum, aliud album, aliud nigrum. Rubrum iterum colore variat :Est enim vel intensè vel dilutè rubrum ,vel subflavescens & fuscum. Probatissimum autem est quàm maximè rubens, perquam ramosum,non scabrosum, non lapideum, non concavum, nec inane. Et rubrum semper usurpatur, cùm absolutè Corallium ponitur & masculi nomen obtinet. Provenit juxta Siciliæ & Syracusarum promontoria,& in Tyrrheno mari. Quin & refert *Hugo Linschottus parte* 3 *Indiæ Oriental. cap.* 1 ad caput Bonæ Spei scopulos esse,qui magna ex parte corallio eoq; acutissimo asperrimoq; & omnigeni coloris utpote nigri,albi,æruginosi seu viridis scatent. Veteres Græci Medici antè nominati corallio refrigerandi, siccandi &

modicè astringendi virtutem tribuunt, ut egregium sit ad rejectiones sanguinis medicamentum. Arabes verò id etiam ad venena profliganda & cordis affectus tollendos commendârunt. Sic enim *Avicenna 2 tractat. lib. 2 de viribus cordis cap.* 124 scriptum reliquit: Corallium frigidum est in primo & siccum in secundo gradu, habetq; proprietatem confirmandi & lætificandi cor. Exiccando quoq; potest absumere putribiles vapores, atq; calorem innatum juvare; Cujus rei argumentum est, quod Corallia stomacho admota dolorem ejus levent, & coctionem promoveant. Quocirca non inutiliter ea ad hanc Confectionem adhibentur.

Nos igitur Corallia rubra electa etjam veluti margaritas in magisterium redigimus, dum ea in aceto destillato, in quo, admoto leni calore externo, promptissimè liquescunt, solvimus, Oleo acido Vitri præcipitamus atq; ab omni aliena acrimonia interventu aquæ simplicis fōtanæ & rosarum liberamus. Sic enim relinquitur niveum & subtile magisterium, quod *Crollius in Basilica* Sal Corallorum vocat, & virtutem ejus supra modū prædicat. Hic quidem nonnulli magi-

sterio

ſterio Coralliorum tincturam eorũ præferunt, qui tamen non conſiderant, quod hæc rubicunda Coralliorum ſolutio non ſit vera ac genuina tinctura ex ipſo corpore extracta, ſed tantum menſtrui ſolventis, e. g. vel ſucci berberorum, ex cujus uncijs quinq; & drachmis tribus Coralliorum & ſacchari ſ. q. Syrupum rubicundũ ad omnem fluxum ventris & ſtomachi utilem parat *Langius lib. 3. Epiſtol. medicinal. pag. 893.*; Vel ſpiritus querni ligni vel Terebinthin. Vel ſpiritus vini aut aceti cum ſale tartari tincti. Multa enim ſunt menſtrua (ait Crollius) quæ ſi aliquandiu in digeſtione ſtent, per ſe ſponte rubeſcunt. Hinc ipſe *Crollius in Baſilica de ſale Corallorum* ingenuè fatetur, quod ſibi apud neminem adhuc veram Corallorum tincturam videre contigerit. *D. Zuingerus in Epiſtolis à D. Scholtzio editis ad D. VVeidnerum* ſcribit, ſe ſemel vidiſſe tincturam ſanguineam ex alembico progreſſam; Verum poſtea ſæpe tentatam minimè ſucceſſiſſe. *D. Sennertus in altera præfatione ſuper inſtitutiones Medicinæ* non poteſt adduci, ut credat ex Corallis ita colorem ſeu tincturam, quemadmodum ex ſantalis rubris, roſis, &c. elici poſſe. Eò etiam videtur
in-

inclinare *D. Libavius lib: 8 Syntagmat. arcan: Chymicor. cap. 16.* Et *D. Carol. Rosenberger part. 2. Rhodologi. cap. 26. pag: 271 & seq.* planum facit, quod à diversis menstruis, diversa existat colorum varietas. Spiritus enim urinæ Corallijs superfusus tincturam Cæruleam non rubicundam elicit: Spiritus aceti ex solutione Coralliorum tùm rubrorum tùm alborum flavescit: Et nihilominus Corallia alba in in spiritu aceti liquefacta & tandem post abstractionem medietatis per arenam destillata rubicundum præbent colorem, etsi Corallia merè alba sunt dissoluta. Ex quibus exemplis patet, rubicundam Corallorum solutionem & tincturam non esse ex rubedine Corallorum, sed menstrui. Etenim color rubicundus non formæ misti corporis Corallini intimè inhæret, ut formæ rosarum rubrarũ & santalorum rubrorũ, sed tantũ est Color iste lus⁹ naturæ: Unde Corallia trita & pauxillo aceti aspersa rubedinẽ confestim mutant & albedinem induunt. E contrario grana alchermes recentia, rosæ rubræ, lignum brasiliense, santalinum; Coccognidium & Lacryma Draconis in aceto destillato suum rubicundum colorem non variant, sed in eo latè diffundunt. Quarè

ex

ex hiſce conſtare arbitror, medicinam illam liquidam & rubicundam, quam PſeudoChymici Tincturam Corallorum venditant, non eſſe extractam ex una & ſola ſubſtantia Coralliorum, ſed eſſe rem compoſitam ex permiſſione rerum extranearum cum rubicundis Corallis, eiq; magiſterium hoc Coralliorum ex ſincera ipſorum ſubſtantia paratum & ab aliena omni natura liberatum longè eſſe præferendum; quicquid etiam hîc Pſeudiatri contradicant, qui inſtar ſpermologorum & ſpectri Virgiliani, ut imperitos decipiant, & ab illis multum pecuniæ impetrent,

Dant ſine mente ſonos, dant caſſa & inania verba.

CAPUT XV.

De magiſteriis ex lapidibus pretioſis Smaragdorum, Sapphirorum & Hyacinthorum.

ETſi Veterum Medicorum, cum Græcorum, tùm Arabum omnium teſtimonio conſtat, lapidum pretioſorum uſum eſſe in medicina, non ſolùm in venenatis & peſtilentibus, verùm etiam in Cordis affectibus; Tamen nonnulli ex recen-

tio-

tioribus inveniuntur, qui vel nullas planè, vel ſanè perexiguas ijs aſſignant vires. Etenim *Hercules Saxonia ſub finem l. 20 Pract. Medic.* de gemmis ſentit, quod intrinſecus nullus illarum ſit uſus, adeò ut magno labore atq; impendio præparari, ægrisque propinari disſuadeat. Sic & *Braſavolus in Examine ſimplic.* & *Thomas Eraſtus diſput. 4 contra Paracelſum* contendunt, pretioſos lapides humanæ naturæ nullam virtutem communicare poſſe, eò quod ſint pertinaciores, quàm ut à calore noſtro vinci mutarive valeant, & quod intra corpus aſſumti ad idem pondus rurſus excernantur, quo fuerunt abſorpti. In eadem quoq; opinione verſantur *Johan. Baptiſta Silvaticus Controverſiâ 7 pag. 224. Et Sanctorius lib. 13. cap. 4. de methodo vitandorum errorum pag. 515*, nonnulliq; alij. Quippe & hi gemmas à calore noſtro quicquam pati & ab eo immutari atque hinc in corpus humanum, tanquam medicamenta agere poſſe negant, quum ex *Galeni ſententia lib. 2 de ſimplic. medicamentor. facultatibus cap. 14* à calore noſtro eas alterante & ad actũ reducente agendi principium ac vim ſuam deſumant neceſſe ſit. Inde & ejusmodi pulveres cibo miſtos venas capillares jecoris cum ægrorum non

levi

levi jactura obſtruere poſſe ajunt. Verum enimverò hi Medici ſapientius feciſſent, ſi axioma *Ariſtotelis*, quod *lib.* 5. *Eudemion. cap.* 7 inculcat, diligentius animo reputaſſent: τὸν σοφὸν δεῖ μὴ μόνον ἐκ τῶν ἀρχῶν εἰδέναι, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς ἀρχὰς ἀληθεύειν: Hinc *Scaliger lib.* 1 *de plantis pag.* 218 inquit: Ubi res conſtat ſi opinio adverſetur rei quærenda ratio, non res ignoranda. Quandoquidem hæc vera rei experientia dicenda eſt, quando effectus à cauſa, quam genuinam eſſe cenſemus, ſæpè factus eſt per ſe, non per accidens; quando etiam alia nulla cauſa fuit præſens, à qua effectus fieri potuisſet; Et deniq; quando naturæ non repugnat, talem effectum à tali cauſa fluere. Iam verò experientia teſtata eſt & adhuc quotidie teſtatur, quod gemmæ quædam, ſi exteriori ſaltem cuti hominis admoventur & incaleſcunt, ſuos prodant effectus in homine: Quippe hæmatites lapis, carneolus & jaſpis cuti appoſiti fluentem ſiſtunt ſanguinem: Sic & Smaragdus ad nudum ventrem appoſitus fluxum ejus & dyſenteriam cohibet, ſicut *Avenzoar in Prologo Conſilij ſui* ad Soldanum ſcribens obſervavit, & *Avenrois lib.* 5. *colliget* approbavit:

Ex

Ex quibus & *Jul. Scaliger Exercitat.* 33. *ad subtilitat. Cardani sect.* 2 idem inculcavit. Et *Anton. Guainerius tractat.* 1. *de fluxibus* smaragdum ventri adhibitum dysenteriam ac nimium hæmorrhoidum fluxum compescere testatur, sicut etiam *Zacut. Lusitanus Observat.* 87 *med: pag.* 389 virtutem ejus in profluvio sanguinis commendat. Hi effectus nos in investigationem causæ ducere poterunt. Scimus enim aliud esse cibum, aliud medicamentum ille, quidem à calore nativo conficitur, hoc verò ita confici & semper in actum deduci nequit, ut induat corporis substantiam, & ut res mista intereat: mutari tamen aliquo modo, id est, qualitate quapiam potest à calore nostro, ut vicissim spirituali & magneticâ quadam virtute corpus nostrum afficere & mutare queat. Nam in actum deduci est, cùm qualitates, quæ in mistione & amica contrariorum temperatione quasi absconditæ latebant, mistione resolutâ sensibiles fiunt; quod in ijs corporibus, quæ à qualitatibus elementorum dependent, fieri necesse est: Non autem in ijs, quæ occultâ qualitate agunt corpore integro manente. Idq; non obscurè docet *Avicenna tractat.* 2 *de viribus cordis cap. de Hyacintho*, dum lapides pretiosos absor-

ptos virtute formæ accidentalis & qualitatis fluentis à forma eſſentiali recipi à calore nativo & receptos eum fovere, corpus alterare & alterando noxia accidentia removere ſcribit. Quamobrem nullum robur huic argumentandi generi ineſt: Lapides ita rursū evacuantur, ſicut abſorbentur: Ergò natura ab ijs alterari nequit. Siquidem Chalybis limatura, quanta quanta eſt, in pulvere cachectico exhibita, per alvum excernitur, & nihilominus venas aperit corpusq; afficit: Sic & fruſtum chalybis vel aurum ignitum in aqua vel vino extinctum, ægroq; profluvio ventris laboranti exhibitum fluxum ſedat: Contra fruſtum è vitro antimonij, vel crocus metallorum vel Mercurius vitæ cum vino infuſa alvum ἄνω καὶ κάτω ſtrenuè concitat quũ tamen nihil ſenſibile de eorũ ſubſtantia decedat. Plura experimenta excerpi poſſunt ex *Langl. lib.* 1. *Epiſtol. medicinal. Epiſt.* 29 & *Tomo ſecundo praxeos Felicis Plateri pag.* 212. Eodem modo diverſæ virtutes lapidum pretioſorum multis Medicis exploratè cognitæ ſunt, ſi vel extrinſecùs corpori applicentur, vel intrinſecus debito tempore ut medicamentum, non ut alimentum, neq; cum alimentis ægris offerantur. Nam & gemma-

rum lux,ſplendorq; ille præfulgid⁹,quem projiciunt,ſatis arguit,eas cum noſtris ſpiritibus naturalem quandam convenientiam habere,& hinc eos conſervare,illuſtrare, immò nonnihil fractos occultâ quadam virtute ac proprietate reſtituere poſſe. Nec obſtat eorum durities,quæ major eſſe videtur nonnullis, ut commodè teri & in formam pulveris redigi queant. Etenim ſi hi lapides igniti in aqua frigida vel aceto ſemel atq; iterum extinguuntur, facilè tunduntur, & cum aqua pulverem tuſum lavando ſubtilior pars à magis cópacta ſeparatur,& poſtea cum aqua conveniente in marmore pulvis plus conteritur & præparatur, ita, ut hoc levi artificio friabilis relinquatur pulviſculus, qui ſuam virtutem haud ægrè noſtro calori nativo impertire valeat. Quantò incitatius igitur natura noſtra operabitur, ſi hi pretioſi lapides in idoneo liquore ſolvantur, atq; Chymiæ beneficio in corpuſcula individua, quæ Arabes alcohol vocant, necnon in formam laudabilis magiſterij convertantur? Quapropter antiquis & noſtræ ætatis Medicis longâ experientià edoctis non derogemus fidem, hoſce lapides pretioſos, ſmaragdum, ſapphirum & hyacinthum tàm in morbis cor-

cordis quàm pestiferis plurimùm valere asserentibus. Itaq; non sine causa *Nicolaus Præpositus* hasce gemmas in suum pulverem bezoarticum recepit; Multæque compositiones [e. g. species cordiales tēperatæ, Confectio liberans, Confectio de hyacintho, Electuarium contra pestem Ferdinandi Imp. Antidotus Matthioli & aliæ] extant, in quas hi nobiliores lapides præparati ingrediuntur, quæ compositiones omnes suam laudem merentur & efficaces deprehensæ sunt.

Cæterum quod in specie nomina & proprietates harum trium gemmarum attinet, prima dicitur *Theophrasto lib. de lapidibus* & alijs nonnullis Græcis Σμάραγδ☉, Latinis itidem *Smaragdus*, de quo *Plinius lib. 37 natural. histor. cap. 5* non pauca disserit. *Galenus lib. 9 simplic.* eum videtur describere per jaspidem viridem. Nam gemma est translucida, gratissimâ viriditate insignis, quâ oculos atq; animum ita demulcet, ut omnium herbarum amœnitatem exuperet. Bonitas ejus in viriditate & duritie consistit, siq; in ore detentus sensum gelu quodam percellat, nec soli object⁹ viridem perdat colorem. Propinatur ad venena, cardiacos affectus & omnes ventris fluxus; Venenatis ani-

mali-

malium morſibus, febribusq́; peſtilentibus medetur. In *libro de incantatione Galeno* asſcripto dicitur collo appenſus vel in digito geſtatus à paroxyſmo Epilepſiæ defendere.

Altera gemma eſt λίθος Σάπφειρος *Dioſcorid. lib. 5. cap. 114. Theophraſt. lib. de lapidibus, Galeno lib. 9 de ſimplic. medicament. facult.* Latinis quoq; *Sapphirus* eſt appellatus *Plin. lib. 37 natur. hiſtor. cap. 9*, quanquam eum cum lapide lazuli confundere videtur. Et quia cœrulei coloris eſt, dicitur etiam Cyanos & Cœruleus lapis *Agricol. lib. 6. de natur. foſſilium cap. 17.* Nec tantum eſt gemma cœrulea, ſed & pellucida, atq; adeò dura, ut limam reſpuat & difficulter à lapicida celari poſſit, unde ab adulteratis ſapphiris & vitris tinctis facile diſcerni poteſt: Tactu linguæ quoq; eſt frigidior. Pulvis ejus exhibitus cor lætificat, cardiacos ac melancholicos affectus quosvis lenit, tollitq́; Sapphirus etiam oculis variolis laborantibus eſt utiliſſimus & carbunculis cæteriſq; calidis abſceſſibus cum fructu imponitur. *Agricol. lib. 6. de natur. foſſil. cap. 17. Camerar. Centur. 4 memorabil. Obſervat. medicar. pag. 288.*

Ter-

Tertia gemma est *Hyacinthus*, quem Indi Sacodion vocant, teste *Plinio lib.* 37. *cap.* 9. *natur. histor.* Hæc gemma ex flavedine rubet, splendetq;, ac quasi fulgur aureum emittit. Unum Hyacinthi genus adeò exactè succini flavi colorem refert, ut non nisi duritie & quòd paleas non attrahat à succino dijudicari queat. Quomodò verò ab alijs gemmis corruptis internoscatur, *G. Agricola lib.* 6. *de natur. fossilium cap.* 4. docet. Ubi nascatur inter alios diligenter inculcat *Carcias ab Horto lib.* 1. *histor. aromat. cap.* 51. Huic etiam lapidi inest proprietas lætificandi & roborandi cor, fortiterq; venenis adversandi, sicut *Avicenna lib.* 2, *tractat.* 2, *de Viribus cordis lit. H.* scribit:

Igitur fragmenta horum lapidum pretiosorum à gemmarijs diligenter conquisita, quæ sese colore, duritie, & splendore commendant, atq; ab adulteratis facile dignosci possunt, in promptu ad nostram Confectionem Alchermes sunt habenda. Nos sufficientem horum quantitatem duplo pondere salis nitri & postmodùm sulphuris in calcem adurendo convertimus, quam aquâ stillatitiâ sæpius abluimus, rursus exiccavimus, spiritu salis marini perfudimus atq; dissolvimus; Tandem lixi-

vio

vio ex sale fæcum vini parato solutionem coagulavimus & instar liquaminis subsidere fecimus. Hic pollis subsidens aquâ fontanâ probe edulcatus, exiccatus & ab omni aliena acrimonia, accendendo super eo spiritum vini, liberatus laudabile, subtile, ac insipidum præbuit magisterium, quod ad præscriptam anteà dosin reliquis simplicibus admiscuimus, ut nostra Confectio in operando majores ac celeriores vires acquireret.

CAPUT XVI.

De ossibus è corde & cornibus cervorum, eorumq; magisterio.

INter illa, quæ ab animalibus ad Confectionem Alchermes petuntur, occurrunt etiam os cordis & cornu cervi. Nam sinistræ basi cordis inter auriculam majoris ventriculi & urinalem venam adhæret officulum, quod venatores crucem cervi (Hirschcreutzlein) dicunt. Hoc in omnibus cordis affectibus plurimùm valet, hominesq; à morsibus venenatorum animalium, à peste, febribusq; pestilentibus defendit, sicut videre est apud *Conr. Gesnerum lib. I animal. histor. de quadru.*

drupedibus viviparis, qui in editione secunda Platearium allegat pag. 354. *Ioan. Guin. Andernacum Comment.* 2 *Dialog.* 5 *de Veteri & nova medicina, Balduin. Ronsseum in venatione medica pag.* 27. *Baricellum in hortulo geniali ex Alex. Benedicto pag.* 132. *Schwenckfeld in Theoriotropheo Silesiæ pag.* 84. *& alios complures.* Cave autem, os bubulum ex trachea arteria bovis desumptum pro hoc osse è corde cervi substituas: Illud enim vix citra languentium incommodum & medicorum infamiam fieret. Hinc ubi non multa horum ossiculorum copia suppetit, potiùs cuspides & extremitates cornuum, præsertim si asterisci notam habuerint, loco eorum surrogari poterunt: Eas enim contra venena & cordis affectus plus prodesse, quàm vulgare Unicornu, Augustani, aliiq; Medici tradunt. Colliguntur autem ista cornua intra duas Mariæ festivitates, videlicet 15. Augusti & 8. Septembris St. V.: Tunc enim se perfectissimè habere creduntur. *C. Gesnerus loco dicto.* Quum igitur hæc ossicula & cornuum cervinorum apices cordis palpitationem, tremorem & animi deliquium avertant, omnibus venenis,

variolis atq; morbillis maximopere adversentur, præterea occultâ proprietate partum custodiant & prægnantibus mirè conferant, iccircò huic Confectioni meritò admiscentur. Ad calcinanda autem & dissolvenda hæc officula & extrema cornua cervorum nullâ aliâ re, quàm aceto vini destillato, spiritu vel igne balsamico ex sale petræ dirato, utimur: Posteà solutiones per chartam bibulam trajicimus & depurgamus: Dehinc nonnihil olei acidi chalcanthini instillando videmus magisterium vasis fundum petere, quod aquâ fontanâ probè edulcandum & lente exiccandum. Ita enim pulvisculus albissimus & bezoardicum animale nobilissimum obtinetur. Nec illorum modus nobis displicet, qui hasce partes cervorum sine igne culinari & interveniente aliquâ aquâ competente, ramentisq; lignorum rostro vesicæ inditas, nôrunt in pollinem redigere. Nam & in hac præparatione spirituosa ossium cornuumque substantia integra & sal illud volatile, à quo virtus glutinosos humores incidendi, viscerum obstructiones aperiendi, putrescentibus humoribus resistendi, adeòque balsami-

ca

ca & cordialis virtus malignitatem humorũ corrigendi dependet, nequaquam perditur, nec ejusmodi subtiles pulveres difficulter à calore nostro digeri possunt. Sal volatile cornu cervi non fœtoris est expers, & in cornu cervi usto sal illud volatile & maxima pars virtutis C. C. à forma fluens perijt. Atqui in magisterio cornu cervi sal volatile conservatur & planè illud inodorum est. Qui plura de facultatibus cornuum cervorum cognoscere desiderat, is præter autores ante nominatos consulat etiam *Plinium lib. 8 natural. histor. cap.* 32. *Langium lib. 1 medic. epistolar.* 9. *Cratonem consil:* 240 *in fol: Matthiolum in Commentar. lib.* 2 *Dioscor. cap.* 52 *Palmar. de febre pe[illegible]il. cap.* 18 *Herc. Saxoniam in lib. de plica cap.* 59. *Martin. Rulandum de curat: Morbi Ungaric pag.* 204 *& seqq. Gregor. Horstium Decades* 1 *Exercit. problem.* 4. *Ulyssem Aldrovandum in volumine quadrupedum. D. Agricolam in peculiari Germanico tractatu de cervis.* Instituti enim nostri ratio non admittit uberius hic ista persequi.

CAPUT XVII.

De lapide lazuli, ejusq; præparatione.

IN numero pretiosorum lapidum ponitur & ille, quem Græci, *Dioscorides lib. 5. cap. 106. Galenus lib. 9. simpl. medicam. in K. Theophrastus lib. de lapidibus, Ægineta lib. 7 de dextra medendi ratione lit: n, Aëtius tetrabibl. 1 serm. 2 cap. 58. Mauri & Arabes lazul* à gleba seu lapide, *Plinius lib: 35 natural. histor. cap.* 6 Lapidem cœruleum, Latini Medici ad imitationem Græcorum itidem eum cyaneum & cœruleum, officinæ & barbari lapidem azuli vel lazuli necnon lapidem stellatũ, Germani Lasurstein / Berglasur / Bergblaw dicunt. Colligitur autem ex *Mesue lib. de simpl. cap.* 14, quod lapis cœruleus sit marchasita quædam, quæ in fodinis metallicis invenitur, continens mineram metallorum & marmorum genus seu Pyriten, coloris sæpius misti ex cœlesti & albo aliquandò punctis aureis interstincta. Ex quâ descriptione apparet, lapidem cyaneum esse quasi semimetallum: Quia compositus est ex marchasitâ & pyrite, quæ sunt abortus vel excrementum metallorum; Et præterea continet quoddam metallum, vel æs, vel argentum; nonnunquam etiam aurum, & plerumq; in ærarijs metallis, teste *Dioscoride l. d.* repe-

reperitur. Et testatur *Langius lib. 1 Epist. 71 pag. 418*, quod Tyrolenses alpes argenti & auri metallis sint locupletes, & lapide Cyaneo Armenioq; abundent. Et lapis ille cœruleus, cui insunt aureæ stellæ, est valde pretiosus: Nam si talis in carbonibus ignitis detineatur, scintillæ illæ redduntur pulcriores, quod non faciunt alij lapides. Meminit *Gabriel Fallopius tractat. de fossil. cap. 33*, quod viderit lapidem lazuli auro inclusum, in quo extiterunt septem quasi stellulæ eo ordine dispositæ, quo sunt in cœlo septem fixæ, quæ constituunt ursam.

Tanta autem est inter lapidem Armenium & Cyaneum similitudo, ut Arabes Medici sub descriptione lapidis lazuli utrumq; intellexerint & complexi fuerint: Unus etiam ab altero quibusdam saltem accidentibus & colore potissimùm, non specie, videtur differre. Quippe lapidis lazuli color est cœruleus cum albo mistus: Armenius verò est viridis vergens in cœruleum: Insuper proprietate & operatione inter se conveniunt, unde unus ab altero specie non distinguendus. Ex hoc lapide Cyaneo per ustionem & ablutionem *Azurium ul-*

tramarinum, quod à pictoribus ob pulchritudinem ac puritatem ad cœruleum colorem repræsentandum expetitur, paratur. Hoc quadruplo pretiosius auro, ut *Costæus in Mesuen* ait, solet æstimari; Et *Fallopius* loco præfato scribit, unam unciam divendi centum scutatis aureis: Quod pretium plus quàm duodecies excedit auri pondus. Præparationem hujus transmarini coloris tradunt *Costæus in Comment. ad lib.* 1. *de Electuar. Mesuæ cap.* 8, *Boetius de Boodt in historia lapidum & gemmarum lib.* 2. *à cap.* 123. *ad caput* 141. *Besardus in Antro Philosophico pag.* 235-238. Hic color igni & fumo resistit, nec indè fit deterior. Quomodò etiam ex argento hujusmodi pulvis cœrule⁹ ad pingendum apt⁹ & transmarino respondens confici queat, *Birellus lib.* 11 *Alchym. Alex. Pedemontan. lib.* 5 *secretor: Gorrhæus in definition: Medicis in* Κύανος *pag.* 291 *Libavius lib.* 5 *syntagm. arcanor. Chymicor. cap.* 21. *pag.* 196 & *seqq. Mizald. Centur.* 2 *memorabili* 32, & *Centur:* 6. *memorabil.* 23. docent. Ex quo conjectura fieri potest, lapidem lazuli de natura argenti quoque participare, id quod & Dn. *Johan. Matthesius in Sarepta,*
mihi

mihi pag. 186. testatum reliquit. Sed hoc Metallariorum examen cum aqua forti vel alijs documentis institutum certius ostendet.

Quod qualitates, proprietates ac virtutes hujus lapidis attinet, eum *Mesues l. d.* in secundo & siccum in tertio gradu constituit. Græci Medici ei tribuunt δύναμιν μετρίως σηπτικὴν, ἐσχαρωτικὴν ἀνθαιρετικὴν τε καὶ ἑλκωματικὴν, hoc est: Vim modicè excedentem, crustas gignentem, exulcerantem & acri detrahendi qualitate pollentem. Ob hasce qualitates antiqui apud Græcos medendi artifices non ausi sunt eum intra corpus exhibere. Atque *Fuchsius lib.* 1 *Paradox: cap.* 12 cum alijs eum intùs propter jam nominatas noxias qualitates non esse dandum contendit. Veruntamen Mauritiani Physici & rei medicæ consulti, qui plurium medicamentorum solertissimi repertores fuerê, facto sæpiùs periculo, non tantùm purgantem, sed etiam atram bilem peculiariter educentem in eo deprehenderunt, quemadmodum etiam in Armenio [qui nondum in terræ visceribus à natura ad per-

fectionem Cyanei lapidis coctus & digestus est] eandem in evacuando facultatem sæpe sunt experti. Nam medicina ingenui pudoris plena nec beneficiorum immemor, hic meritò profitetur, per quos profecerit. Observârunt igitur Arabes, quòd nocumenta lapidis hujus ita potissimum corrigi possint, si lapis iste tritus aliquoties lavetur, donec neque color aliquis, neque odor in aqua remaneat, sique id, quod supernum est [ut fit in lotione cadmiæ] semper eligatur, & quod subsidet ac crassius est, in singula lotione separetur. Sic enim ablutus & parat⁹ hic lapis purgat humores adustos, & in melancholicis affectibus solutu contumacibus plurimùm confert; Et quia vapores cordi molestos educit, cor etiam roborare & lætificare dicitur. *Mesues lib. 1 de simplic. cap. 14. Avicenna lib. 2. tractat: 2. de viribus cordis sub L Averrois simplicia cap. 43, de medicinis, quæ ex mineris fiunt. Quinetiam Alexander Trallianus libr. 1. de vitijs singularum partium cap. 23. & Guaynerius tractat: 15 de mania & melancholia* affirmant de eo, quod non tantum is cum lapide Armenio omnes ab humore melancholico ortos morbos

tol-

tollere; Sed & sanguinem depurgare, in Mania, Epilepsia tremore cordis & syncope juvare, lepram, elephantiasin & quartanam sanare, animam exhilarare, corpus floridum diu tueri, crassos lentosque thoracis ac pulmonum humores expurgare, & Asthmati, lienisque affectibus remedio esse possit. Addunt etiam, se eo sæpissime usos, seque DEO Duce, nunquam suâ intentione in curandis melancholicis affectib⁹ frustratos esse, eumque vel in forma pulveris (e. g. recipe lapidis Cyanei loti scrup. 2 pulveris croci scrup. semis, macis scrup. 1 misce) vel in forma pilularum cum hiera picra Galeni exhibuisse. Hisce assentitur *Valescus de Taranta in suo Philonio cap. de melancholia*, qui hunc pulverem magni usus in melancholia præscribit: Recip: Lapidis lazuli loti & præparati, resin. agarici ana scrup. semis pulv. epithymi recentis scrup. j. resin. scammonij gr. v, pulv. caryophyllorum gr. iij misce. *Et Ant. M. Brassavolus in lib. de medicament. purgantibus* asserit eum per se novies lotum ventrem exolvere à scrupulis duobus ad drachmam unam datum, præsertim si cum rebus ventriculum roborantibus of-

feratur, quorum jam facta est mentio. Nunquam autem eum non lotum voluit experiri. *Scaliger* quoque *exercitatione* 272. *ad subtilitates Cardani* hisce assensum præbet, & se cum illo lapide in desperatissima elephantiasi magna fecisse pericula profitetur. Quamobrem lapis Cyaneus ab Arabibus Medicis non sine causa ad Confectionem Alchermes est receptus. Ubi enim ante nominatos affectus volumus persanare, tunc utiliter Confectio Alchermes usurpatur, neque drachma lapidis lazuli loti ad sesquilibram totius compositionis assumta corpus ullo modo perturbare poterit. Hinc *D. Platerus in Observation. Medicis pag.* 64. scribit: Confectionem Alchermes in melancholicis affectibus propter lapidem lazuli eò magis convenire. Immò quandò simul melancholiam volumus curare, dosin lapidis cœrulei augere convenit; Quod tutò fieri potest, quia essentia cinnamomi & ligni aloes, ut & moschus & ambra noxiam hujus lapidis vim satis retundere queunt, sicut *Mesues in Confectione lapidis stellati* luculenter ostendit.

Cùm verò Confectionem Alhermes in Diarrhœa, dysenteria, nimio hæmorrhoidum fluxu, in prostratis viribus, tabe exhaustis, emaciatis & nimiâ venere delassatis exhibere volumus, præstat lapidem lazuli totum omittere, quum is non tantum καθαρτικὴν sed & καθαιρετικὴν possideat qualitatem, quâ alvi profluvio & imbecillitate caloris nativi laborantes magis fatigaret: Noxa enim ejus nec ablutione integra deletur. Hinc *Rondeletius cap. 43. de ponder. medicamentorum* refert, Diaconum Valentiæ ob nimium & frequentem Confectionis Alchermes ex lapide lazuli paratæ usum in dysenteriam incidisse, nec Ioannem à Valco olim Academiæ Mompeliensis Decanum eruditissimũ, eam in fluxibus ventris propinare voluisse. Et *Felix Platerus tractatu secundo Praxeos pag. 111, pag. 124. & pag. 213. in prima edit:* scribit, Confectionem Alchermes, quæ recipit lapidem lazuli, non convenire, si adsit fluor alvi. Et *Augerius Ferrerius in castigationibus Practicæ medicinæ cap. 9.* monet, lapidem lazuli moribundis nòn convenire, sed tunc vel smaragdos vel hyacinthos substituendos esse. Hisce quo-

que *Dodonæus lib. 4 pempt. 6 in histor. stirpium cap. 4* suffragatur, dum inquit: Qui compositione alchermes adversus palpitationes, tremoresque cordis, & animi defectiones uti instituit, prudenter & rectè facit, prætermittendo lapidem cyaneum: Nam exiguo pondere aut parvâ quantitate hic assumptus, expurgare nequit, perturbare interim ventriculum potest, præter quòd acri suâ qualitate ac deleteriâ potentiâ interna viscera (si frequenter sumatur) plurimùm offendat, atque hoc modo plus mali, quàm auxilij conferat. Quanquam enim *Poterius cap. 27 Pharmacop. Spagyricæ* ratus est, vim emeticam & purgantem lapidis cœrulei in sale ejus volatili consistere, eamq; per ustionem perire; contra verò virtutem cardiacam, non avolare sed perennare, atque in sulphure ejus persistere: Tamen δοκιμασία Chymica testatur, lapidem lazuli sive lotum sive illotum, sive calcinatum sive non calcinatum per acetum vel spiritum salis vel alium acidum liquorem in Magisterium redactum adeò æruginosam, chalcanthinam, acrem & mordacem manifestò contrahere saporem, ut nullâ aquâ

aquâ dulci elui posſit : Jmmò pauca ejus grana Confectioni Alchermes admiſta ingrato ſapore totam compoſitionem afficiunt & maculant, ſicut cuilibet periculum facienti patebit. Quare nos duntaxat mediæ parti Confectionis drachmam unam lapidis lazuli per ablutionem multoties iteratam ſubtiliter præparati addidimus: In altera verò medietate illum omiſimus, quicquid etiam *Foëſius in Pharmacop: de Confectionibus aromaticis pag.* 95 contrà differat. Hoc enim pacto Confectio Alchermes ſine lapide lazuli in profluvijs ac torminibus alvi, nec non dejectis viribus tutò exhiberi poteſt: Siquidem hic magis conferre poſſunt illi lapides, qui citra vim Κιθαυρετικὴν καὶ Κιθαρτικὴν proprietate ſuâ (ut ſunt ſmaragdi, ſapphiri & hyacinthi) cordis viribus refocillandis unicè ſunt amici.

CAPUT XVIII.

De auro, ejusq́ magiſterio.

MAGno ſtudio videmus mortales aurum quærere: Nam & continentiſſimi id ad vitæ ſuſtentationem

non respuunt; Avari verò, qui eo circumfluunt, siti auri nunquam possunt satiari: Multi quærunt aurum, ut id perdant & ex perdito lucrum captent; complures id in luxum vertunt. Hinc *Hadrianus Imp.* dicere solitus est, plus esse auri in rerum natura, quàm reliquorum metallorum: Verum in bracteas, vestiumque varia ornamenta id consumi, sicut *Raphael Volateran. lib.27 Philolog. cap. 1. de metallis* meminit. Multum mare per naufragia, multum terræ sepulcra in defunctis abscondunt. Quin & medicina in usus humanos non parum auri absumit, nec quidem immeritò: Omnia enim propter hominem à DEO creata sunt. Proinde diligentes operum naturæ indagatores matri omnium rerum injuriam intulissent, nisi huj⁹ puri, splendescentis & in igne permanentis luti facultates & vires sedulò pervestigassent. Chymici nihil aliud aurum esse scribunt, quàm argentum vivum purum condensatum purissimam sulphuris puri partem actu recipiens. Nam quod hydrargyrum in auro prævaleat, *Paracelsus lib. de cælo Philosophor. cap. 3* ex eo demonstrat, quòd mercurius promptissimè auro adhære-

at, ipsique permisceatur corporaliter; Quod ipsi fluxum & pondus præstet, quodque nequaquam ignis vi, sicut & aurum, dividi dissolvi vel ab elementis corrumpi queat, etsi metallum est inchoatum & immaturum. Per sulphur autem metallorum consulti non commune, & φλόγισον illud fœtidumq; sulphur intelligunt, sed igneum illum & pinguem terræ succum, quem natura varijs motibus in visceribus terræ semine & spiritu auri opifice præditum formavit, diu concoxit & purificavit: Quando enim ille cum vapore aquæ ponderoso sese miscet, tunc hydrargyrum coagulatur, ab omni excessu elementorum purgatur, condensatur, & per amicabilem hanc copulam in adeò firmum splendidum stabileque corpus convertitur, ut omnis corruptionis & injuriæ ab elemẽtis, rubiginis odorisque sit expers. Ità ex intima conjunctione duarum substantiarum à natura exquisitè depurgatarum & ab omni materia corruptionis capace vindicatarum gignitur corpus auri, quod de igne & reliquorum elementorum potestate triumphare potest. Confer hic *Paracelsum tractat.* I. *de mineralib: cap:* 2.

de procreat. metallor: Matthiol: in Commentar. super lib. 5 Dioscor. cap. 70. Agricolam lib. 5 de ortu & causis subterraneor. c. 7 & 14. Ang. Salam sect: 1 Chrysologiæ. Quum igitur hoc Mauritani Medici, quibuscum Chymia vel nata, vel educata est, animadverterent, auri quoque in corpore humano fecêre periculum & in eo admirabiles facultates experti sunt. Hinc *Avicenna tract. 2 de complexion. cap.* 78 scribit, quod aurum sit in omnibus suis partibus æquale: hoc est, temperatissimum & quod in melancholicis morbis, alopecia & serpigine conferat. *Libro secundo de viribus cordis cap.* 3. scribit, quod cor roboret & in ore retentum anhelitus graveolentiam tollat. Sic & *Serapio sermone secundo de temperament. simplic. cap.* 415 virtutes ejus prædicat: Deheeb, id est, aurum, inquit, & limatura ejus confert cardiacæ melancholiæ & debilitati cordis, & quando cauterium imprimitur cum eo, non facit vesicas & meliorem velocioremque curationem admittit. Idem & *Rasis cap.* 52. *de simplicibus* commemorat, quod scilicet aurum tremori cordis & melancholiæ præstet auxilium. Inter Veteres Græcos Medicos *Dioscori-*

des

des lib. 5. cap. 70. juxta partitiones Matthioli auri limatam ſcobem contrà argentum vivum mirabili eſſe auxilio ſcribit. Inter antiquos naturæ conſultos etiam *Plinius lib. 33. cap. 3. & lib. 34. natural. hiſtor. cap.* 4 uſum auri in medicina oſtendit. Hoſce Medici ſequentium quoque ſeculorum imitati ſunt. *Arnoldus de villa nova in ſpecial. regul. medicin. cap.* 18. nos inſtruit, quod quidem aurum non in ſubſtantia corpus transmutet, neque ab eo transmutetur, ſed ei inſit magneticâ virtute vegetandi & lætificandi cor proprietas. *In libro de conſervanda juventute cap.* 2 *&* 3 *et in tractatu de Vino* idem *Arnoldus* auri candentis extinctionem in vino ad omnes cordis affectus ob exquiſitisſimam ſuam temperiem magnopere celebrant. *Auger. Ferrer. in caſtigat. practic. Medicin. cap.* 9 aurum ad oris fœtorem, cordis ſaltum, ulceraque putrida commendat. *Libavius lib.* 4 *Magiſter. cap.* 9 *in ſyntagm. Alch.* tradit, quod in Epilepſia infantum, ictero, febribus, vermibus & ſimilibus morbis auxilium ex auro perfecto petatur, & hoc deficiente ex nummis Ungaricis nonnihil radulâ abradatur, idque cum lacte materno vel aquâ

quâ cerasorum aut simili liquore propinetur: Hinc & videmus Confectiones, pulveres cordiales & electuaria cordi dicata, necnon aquas cordiales, pilulas, morsulosq; folijs auri splendescere. *Mizaldus Centur.* 1 *memorab:* 53 *&* 98. *Centum* 2 *memorab.* 20 *Centum* 7 *memorab.*19. *Centum* 8 *memorab.*69 *Lev. Lemnius lib.*3 *de occultis naturæ miraculis cap.* 6. *Langius l.* 2. *sub finem* 49 *Epistolæ medicinalis* eadem & plura insuper de auri dotibus profitentur. *Renodæus lib.* 2. *sect.* 3. *cap.* 1 *Institution: Pharmac.* auri scobem ditioribus puellis fœdis coloribus detentis in forma catapotiorum vel tabellarum feliciter præscripsit. Hinc & *Zuingerus in Commentar. super Hippocratis lib. de Diæta cap.* 12 *pag.* 432 sequentia ejus verba auro accommodat: χρύσος ὁ μαλακώτατός τε καὶ ἀραιότατος πλείστην κρῆσιν δέχεται καὶ γίνεται κάλλισον Hoc est: Aurum mollissimum & rarissimum plurimum temperamentum suscipit ac optimum evadit. Itaque non possum assentiri. *Paracelso lib.* 6. *de resuscit. rerum natural.*, *neq; Quercetano in Tetrad: cap.* 31 *& in Pestis Alexicaco lib.* 2 *cap.* 7, qui scribunt, aurum vel limatum vel in tenuissi-

ma

ma folia redactum parùm aut nihil prodesse, quum intest & ventriculo folia ejus adhæreant, ea membra incrustando deaurent, ventriculo negotium facessant, atque concoctionem impediant. Etenim hoc non in alijs animalibus homine longe minoribus & imbecilliore calore præditis, multò minus in homine, per fidam anatomiam observatum est. Nam ante aliquot annos nactus sum potestatem faciendi periculi in gallina Calecutica, cui libellos aliquot foliorum auri cum ordinario pabulo mistos dedimus absorbendos, eamque posteà mactavimus. In hac neque in cavitate thoracis, neque intestinis reliquias foliorum auri, nec incrustationem carnis ab ijs factam deprehendere potuimus, sed omnia erant cum excrementis trajecta & in ijs latitabant, caroque intus pulchra & pura fuit. Quamobrem *Quercetanus* alibi rectiùs scribit, ut ex eo *Baricellus in Hortulo geniali* refert, quod auri folia in aliqua betonicæ aut absinthij conversa cómista & deglutita suâ specificâ facultate ventriculum corroborent. Et *Petrus Bellonius lib. 1 Observat: medica: historic. & Physic. cap. 51* liquidò testatur, quod aurum,

rum, quacunque ratione, sive solidum, sive limâ contritum, sive in folia diductum, intrò assumtum ventriculum, viscera & vitalem facultatem non offendat, sed ipsam potiùs & cor plurimùm reficiat. Ideoque Arabes fidâ didicêre experientiâ, quod auri frustula intra membranulas pergameni virginei posita frequenti malleoli lati ictu in bracteas folijs tenuiores redacta & electuarijs addita faciant ad reficiendum spiritus vitales. Hinc & Mesues suam Confectionem Alchermes folijs auri conspicuam reddidit. Nihilominus tamen alij reperiuntur Medici, qui contendunt, aurum in medicamentis esse inutile, & propterea ejus usum vitandum. Ita enim optimus aliàs Dogmaticus Archiater, *Lud. Duretus in annotationibus ad scholia Hollerij de morbis internis cap. 8. cap. 27. 29 & 46. Erastus lib. 4 adversus Paracelsum. Brasavolus in lib. simplic. medicament. Ut & Scholtzius Epist. medic.* 150 contra medicinam ex auro disputant, eamque his rationibus dissuadent: 1 Quia aurum vitæ non est particeps, nec proportionem habet cum vita: 2 Quia auri & stomachi nulla est proportio, nec aurum dis-

Obiectio

sol-

solvi potest, nisi mistione aquarum Chymicarum, quæ sunt à natura hominum alienæ: 3 Quia sunt auri principia sulphur & argentum vivum, quæ naturæ nostræ non sunt consentanea. At hæ rationes sunt insufficientes, ob quas auri usus in medicinam non debeat admitti. Nam quòd primam attinet, equidem non inficior, aurum longissimè distare à natura humana, & ideò eam per aurum neutiquam instaurari posse: Ajo etiam sanguinem cæterorum animalium, e. g. anatis, anseris, hœdi nobis esse in genere animalium propiorem quàm aurum & vicem alimenti ac medicamenti præstare, sicut nobis *Dioscorides lib. 2 cap. 72 & in præfatione lib. 6. Galenus lib. 2 de antidotis, P. Ægineta lib. 7 cap. 11 Gellius lib. 17 noct. Attic: cap. 16, Beroaldus in Plinium lib. 25. cap. 2.* fidem faciunt: Et de sanguine sè typhis cervorum *Gesnerus lib. de quadrupedibus viviparis tit: de Cervis,* ut & de sanguine Rhinocerotis & utriusq; vi cardiaca mirabili *Zacut. Lusitanus Observat: medica* 88 multis egit. Veruntamen & hoc affirmo fretus ratione, experientiâ & autoritate gravissimorum Medicorum, aurum tùm temperamen-

to, tùm ſplendore ſpiritibus noſtris egregiè reſpondere, & ideò exhibitum aurum eos fovere, recreare & refocillare. Adhæc exercitatiores in operibus naturæ Chymici metalla & lapides pretioſos non planè vitâ deſtitui oſtendunt, eò quòd habeant ſeminale aliquod principium, ſeu ſpiritum ſui corporis effectorem, qui ſemini vegetabilium & animalium (quo creſcunt & augentur) ſi non univocus, certè analogus eſt. Proinde & aurum in ſua minera vivit, quoniam ſpiritum aurificum continet, qui à calore terræ excitatus emittitur, materiamque diſpoſitam in ſui naturam convertere poteſt, qua de re lege *Anſhel. Boet. de Boodt libr. 1 de lapidibus & gemmis, & Sennertum cap. 9. de Chymic. cum Ariſtotel. & Galenic. conſenſu ac diſſenſu.* Et imago generationis auri ad modum ferè plantarum, in hoc eleganti luſu naturæ & exemplo nobis proponitur, cujus ſemel atque iterum vidi factum periculum. Capiantur enim Hydrargyri per fumum ſulphuris primùm mortificati, deinde per additionem ſcoriarum ferri ad vitam in aqua reſuſcitati partes ſex vel octo, auri puri limati, vel in bracteas redacti, vel in ſeparatione argenti ab auro per aquam

quam aurificum reſidui pars una: Fiat inde amalgama, ut Chymici loquuntur, quod reponatur in vitreum vaſculum Hermetico ſigillo obſignatum, detineatur per unam & alteram ſeptimanam in leni calore ſcoriarum ferri vel cinerum; Jntra hoc tempus juncta materia ſenſim in ſpeciem arboris aureæ aſſurget, & quaſi creſcere, ſeque in vitri lateribus extendere incipiet, & jucundiſſimum ſpectaculum præbebit. Hæc arbor aurea luſus quidem eſt naturæ: Jnterim ſagacibus naturæ imitatoribus documentum præbet aurum in viſceribus terræ ſpiritu opifice, veluti ſemine præditum, argentum vivum in ſui naturam convertere poſſe, nec ideò cum *Scaligero Exercitat* 102 *ad ſubtilitates Cardani* vitam auro & reliquis metallis denegandam. Ergò & aurum cum vita hominum aliquam proportionem habet, eamque conſervare valet. Ad ſecundam rationem reſpondendum eſt, quod ſit diſtinguendum inter alimentum & medicamentum. Aurum quidem à calore noſtro ita nequit evinci, ut in ſubſtantiam corporis convertatur: Poteſt tamen immateriali & ſpirituali ſuâ vi aliquo modo illum af-

fice-

ficere, ut corpus mutet, spiritusque reficiat. Qualia multa à calore nostro recepta corpus alterant, etiamsi in corporis alimentum non abeant, sicut supra in capite de lapidibus pretiosis exemplo chalybis, lapidis lazuli, Armenij & stibij ostendimus. Eodem modo aurum & gemmæ (in quibus nulla vehemens, sed temperata qualitas dominatur) actione suâ immateriali & ætherea, quæ à forma fluit, calorem nativum afficiunt, cum eo conjunguntur, eumque fovent, illustrant & augent. *Scaliger Exercit.* 272 *ad subtilitates Cardani & libr.* 1 *de plantis pag.* 415. *Langius lib.* 2. *Epist. medic.* 49. *Fernel. de abdit. rerum caus. Fracastor. lib. de sympathia.* Quod si aurum spiritibus salinis humanæ naturæ non infensis [de quibus paulò post fusius] vel in liquorem, vel magisterium arte Chymicâ convertatur, eo minus calori nativo negotium facessere, sed ab eo promptissime recipi & in actum deduci potest.
℞ 3 Tertia ratio propria cædit vineta. Nam si partes auri sunt sulphur & argentum vivû, eæq; in humano corpore ad varios morbos depellendos adhibentur, utique & compositum ex ijs aurum suas laudabi-

les

les virtutes exeret: Immò ſi aurum *hæc* duo principia in ſummo gradu á natura elaborata & digeſta in ſe continet (ut certè continet) ſequitur, quod major adhuc virtus ab operatione auri in corpore humano, quàm ab hydrargyro vel ſulphure, vel aliis metallis, ſit expectanda. Sed de iſtis objectionib⁹ hactenus. Ex quibus liquere puto, aurum per ſe intra corpus exhiberi tutò poſſe. Cæterum quando ſubſtantia auri conveniente menſtruo per Chymiæ opus citra deſtructionem metalli attenuatur, exaltatur & in ſubtilem pulverem redigitur, eò citiùs à calore noſtro apprehendi & operatione ejus corpus moveri poteſt. Quippe non poſtremus artis Spagyricæ ſcopus eſt diſſolvere & dilatare ſolida ac compacta corpora metallica interventu humoris cujuſdam acidi, eaque in formam ſubtilem, penetrabilem, priſtinæq; multũ diſſimilem vel liquidam vel ſiccam reducere, ità ut in quolibet liquore facilè dilui queat. Hoc enim artificio corpus volatile & quaſi ſpirituale redditur, unde *à Theophr. Paracelſo libr. 6. Archidoxor.* ei nomen Magiſterij imponitur. Varijs autem modis & men-

menstruis aurum à Chymiatris subtile ac penetrabile redditur. Etenim si quatuor partes usualis argenti & una Rhenani vel Coronati auri in defectu obryzi capiantur, & illæ vel per examen cinerum vel cementum regale quod ex quatuor partibus farinæ laterum, duabus salis usti & una vitrioli calcinati paratur, (sicut describit *Bellonius lib. I Observation, cap. 51*) separato cupro & omni alieno metallo purgentur, tunc sincerum aurum & argentum remanet, quod in laminas extensum immittatur aquæ forti. Hoc pacto argentum ab hac nitrosa & chalcanthina aqua consumitur, ut nihil de eo videatur amplius, individuis auri puri corpusculis in fundo subsidentibus, quæ calidâ aquâ aliquoties ab omni acrimonia elota peridonea sunt ad aurei magisterij Confectionem. Nam si huic calci auri æquales partes spiritus vitrioli coagulati & tres quatuorve florum sulphuris addantur, & lente calx ☉ reverberetur, tunc deflagrat sulphur cùm coagulato spiritu vitrioli & remanet magisterium ☉ phœnicei coloris subtile & insipidum super quo semel atque iterùm spiritus vini sine phlegmate potest accendi, ita color in obscuram

verget rubedinem. At verò magis aurum attenuatur, & laudabile præbet magiſterium, ſi in bracteas deductum in aqua Regis vel pugilum disſolvatur, ſolutum lixivio ex ſale tartari vel ſale cinerum clavellatorum, ſalis tartari perpetuo vicario, parato, præcipitetur, præcipitatum aquâ calidâ edulcetur & leniter exiccetur, ne flammam concipiat, neve damnum inferat. Hic tenuisſimus auri pulvis iterùm juxta locum calidum in ſpiritu ſalis rectificato ſolvatur & denuò liquore ſalino jam nominato ad fundum repercutiatur, & aquâ deſtillatâ calfactâ ab omni ſalſedine liberetur & leni calore deſiccetur. Hæc calx adeò volatilis eſt reddita, ut non ſolum flam̃am facilè concipiat, ſed & ſimul tantum ſubtilis fragoris ſtrepitum excitet, ac ſi bombarda exploſa fuiſſet: Operatio tamen hujus calcis aureæ pulveri tormentario eſt contraria, quando ea non ſurſum, ſed deorſum versùs inſtar jactus fulminis cæleſtis tonat. Hoc ſplendidum & aliàs in igne permanens terræ lutum, aurum dico, penitisſimè ſiccos ſpiritus duplicis ſalis ſulphurei volatilis maſculini & fœminini in ſe recepit, ex qua arcta com-

munione aurum tantam fulminandi potestatem acquisivit. In chalybe & ferro, etiamsi in aqua regis solvantur, hæc vis Κεραυνόβολος ita sese non exerit, sicut cuilibet hujus rei periculum facienti patebit. Proinde sicut ad communem pulverem pyrium nitrum, sulphur & carbones concurrant; Ita & hic nitrum, sal ammoniacum atq; item metallum summè digestum, quale est aurum, necesse est: Hanc perfectionem quum chalybs ac ferrum cũ cæteris metallis non assequantur, ideoque fulmineum ictum nolunt edere. Secus docent *D. Glückradt ad Tirocinium Chymicum Beguini, Libavius libr. 5. Syntagm. Arcan. Chymic. cap. 4. Petræus Tomo secundo Nosolog. Dissertatione* 48. *quæst.* 7, qui scribunt, calcem Martis eodem modo fulminare; Sed citra experientiæ fidem. Isti Cerauno Chryso addantur æquales partes spiritus Vitrioli coagulati & tres quatuorve florum sulphuris, mista lentè super ignem reverberentur, tunc deflagrante sulphure, exhalante spiritu Vitr. volatili demptâque fulminandi vi, pulvis iste in laudabile convertetur magisteriũ, quod inter cordialia & primæ notæ diaphore-

tica locum optimo meretur jure. Siquidem egregiam præstat medicinam in febribus malignis variolis & morbillis, & si per se cum aqua cordiali sex septemve granorum pondere exhibeatur, exanthemata & maculas febrium malignarum ad ambitum corporis potenter expellit, mirificam insuper adversùs venena habet efficaciam. *Jul. Palmarius l. 2 de febr. pestilent: c. 18, pag. 465. Gunth. Bellich. in Chymicor. quorundam remediorum examine pag: 85.* Hoc magisterium tenuissimum & temperatissimum est, neque temporis diuturnitate, neque ignis perennitate consumitur: Unde ad Confectionem Alchermes à nobis meritò receptum est. Alijs etiam modis id magisterium præparatur: Quippe si aurum in spiritu salis marini, cum sale fuso digesto & pauxillo spiritus balsamici exaltato, dissolvatur, oleo salis tartari præcipitetur & postmodùm edulcetur, tunc magisterium subnigri coloris obtinebitur. Quod si solvatur in spiritu nitri cum sale fixo circulato, pari modo ad fundum repercutiatur & ab omni acrimonia liberetur, tunc itidem friabile relinquitur magisterium, quod affrictu

ſuo argentum aliaque metalla pulchrè deaurat. Veruntamen hæc duo magiſteria poſteriora non ſunt æque ſubtilia, ſicut prius: Quamobrem illud hiſce præferimus, idque cum auro Potabili & Tinctura auri poſſe certare asſerimus. Scribit equidem *Cardanus libr.* 12 *ſubtilitat. poſt principium*, optimâ ratione vitæ longitudini conſuli, ſi aurum absque erodente aliquo in aquam quandam vertere licuerit. Et *Sylvius libr.* 1 *de natura medicament. ſimplic. pag.* 88 inquit: Aurum arte Chymiſticâ ſolutum & potabile redditum, exhibere medicinam lætificantem & in juventute corpus conſervantem, ſi Gebero, addit, in metallicis exercitatisſimo credimus. Idem etiam *Hieron. Rubeus ſect.* 1. *deſtillat. cap.* 20 diverſorum Medicorum ſuffragio probat. Sed hîc primùm ſciendum eſt, quod ſit corrodentium ſimplicium magna diverſitas: Alia enim ſunt innoxia, nec humanæ naturæ infenſa; alia vero ſunt noxia & vehementisſima. Innoxia ſunt acetum, ſuccus limonum, citreorum malorum, berberorum, ſpiritus ſalis, quo quotidiè cibos condimus, ſpiritus acidus ex ligno querno, ſpiritus mel-

lis,

lis, ſpiritus è ſanguine animalium, ſal tartari Vitriolatum, Ros ille vernus menſis Maij, qui etiam ſale volatili abundat. Si itaq; in uno horum debito modo deſtillato, (ut ejusmodi formulas tradit *Hieron. Rubeus loco dicto*) aurum fiat poculentum, innoxiam quidem, penetrabilem & cordialem præbet medicinam: At ſubſtantia auri per multum liquorem eſt diſperſa, & ideò non tàm valida quàm eſt per ſe ſubſtantia auri in magiſterium redacta & cum multùm cordialibus medicamentis permiſta. Contrà aurum cum vehementibus corrodentibus, e. g. ſpiritu nitri, vel ſpiritu ex ſale cauteriali aut urina humana extracto, vel aquâ regis, vel mercurio ſublimato vel ſale ammoniaco in formam liquidam & ſorbilem converſum eſt omninò valde noxium & faucibus, ſtomacho, calorique nativo maximè infenſum, & ideò intra corpus non propinandum, niſi priùs ſe his erodentibus ſpiritibus ſolutum & planè inſipidum redditum. Quandoquidem omne legitimum aurum potabile perſpicu⁹ color, odor & guſtus gratus, acrimoniæ nimiæ vacuitas, ſolidi & redivivi auri comprænhenſio, nec non ſa-

lubris roborandi cordis effectus commendant: Hinc enim lapsantem vel delapsam valetudinem restituere, caloremque imbecillem firmare dicitur. Attamen non tantæ vires ei sunt tribuendæ, quantas *Cardanus libr. 2 subtilitat. ante medium* suæ aquæ cælesti ac ætheri ascribit, de quo affirmat, qòud vires corporis vitamque in longissimum tempus, quod nec ipse Cardanus assecutus est, possit producere: Senes enim non inde repubescunt. Equidem arbor vitæ in Paradyso dicitur habuisse talem virtutem naturalem corrigendi ætatem in senium vergentem. Nunc verò ob lapsum primorum parentum nobis ejusmodi medicina deficit. Itaque ne quid nimis de hoc auro poculento: τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν ἀληθὲς ὑπάρχει.

Deinde de Tincturâ auri, ut hanc loquendi formulam Chymicorum consuetudini concedamus, tenendum est, quod hæc sit duplex: Una est spiritualis & immaterialis, altera verò corporalis & materialis. Sicut enim acidulæ & thermæ quædam spiritibus metallorum sunt imbutæ, nonnullæ verò minerali corpore scatent, de quibus *D. Sebizius Dissertat:*

quin-

quinta de acidulis sect. 1 eruditè egit: Ita quoque concedendum dari quosdam liquores, qui spiritualem auri vim imbibere queunt. Hinc in cordis affectibus, diarrhœa & dysenteria vinum vel aqua cordialis, in quorum alterutro aurum est extinctum, plurimùm confert. Hujusmodi tinctura spiritualis est liquor solis aromatic⁹ ab *Hadriano à Mynsicht sect:* 1 *thesauri Chymici pag.* 8 descriptus. Quando enim aurum in Oleo salis dissolvitur, rursus præcipitatur, calx dulcis solis cum tantillo olei cinnamomi miscetur, ut fiat mistura pultis similis, ei tartarus sophorum, hoc est, tartarus ustus & per aquam ab arenosa substantia separatus adjicitur, atque spiritus vini optimè rectificatus affunditur, tunc spiritus in moderato calore quandam extrahit rubedinem, quæ reverà non est auri anima vel quinta essentia, sed color iste à sale tartari provenit. Nihilominus tamen aurum ob tenuitatem suam aliquid virium modo spirituali huic liquori communicavit: Hinc liquor iste auri aromaticus ad aliquot guttas exhibitus in cordis affectibus, deliquijs animi ac prostratione virium perutilis est. At auri sub-

ſtantiæ in pondere nihil deceſſit: Siquidem Calx ☉ in fundo remanens in ſolidum aurum facilè reduci poteſt, ſi probè aquâ calidâ edulcetur, ſulphure calcinetur, & argentò, pulvereque ex tartaro, capite mortuo Chryſulcæ, lythargiro, ſale, felle vitri ac borrace parato fundatur: Tunc enim aurum argento conjunctum redit in priſtinam ſuam ſubſtantiam, quæ beneficio aquæ fortis ſincera & ſplendida iterùm prodit. Proinde hæc auri tinctura nihilo plus aurum potabile dicenda, quàm Vinum in quo aurum ſit extinctum, & ideò etiam tantum præſtare nequit, quantum magiſterium auri, nec tanto venire debet, quanto hoc. Eodem ſenſu etiam accipienda ſunt verba *Crollij in Baſilica*, *ubi agit de Oleo Cinnamomi*. Fuerunt, inquit, qui mediantibus hiſce oleis aromaticis (e. g. cinnamomi) calci auri peculiariter præparato extraxerunt eſſentiam coloratam magno ægrotantium juvamine in uſum medicum adhibitam. Ubi etiam ludit vocabulo Eſſentiæ, per quam tincturam auri ſpiritualem intelligit: Talis enim liquor nullum auri corpus ſolvere poteſt, ſed eſt ſpiritus vini ſale tartari in-

ebri-

ebriatus & cum calce auri oleo cinnamomi imbutâ digestus. Porrò veritatis fidem planè excedit oratio *Quercetani*, qui *in tetrade capitis affectuum cap.* 32 scribit, quod liquor ardens fructuum maturorum juniperi ex sole h. e. auro, vitalem suum balsamum & sanguinem exquisitissimum extrahat: Nam illa extractio nihil de substantia auri participat, sed etiam merè est spiritualis & immaterialis, & id coloris, quod spiritum è baccis juniperi tingit, est è sale calci solis adhærente, non de essentia auri: Etenim priori artificio calx auri integer in solitam suam redit substantiam. Vana igitur est quorundam Chymicorum persuasio, aurum in aquosam, oleosam & salinam substantiam posse transmutari, ita ut in metallum reduci nequeat, sed irredivivum perennet. Id enim esse impossibile *Angelus Sala in sua Chrysologia & examine auri Chymici Franc. Antonij Londinensis*, nec non gener ejus *Ant. Günther. Billich. in examine deliriorum Chymicorum P. L.* luculentè probârunt. Multò minùs illis assentiendum est, qui stillatitijs quibusdam oleis vel simplicibus vel compositis, e. g. Oleo è baccis juni-

peri,terebinthinæ,fœn culi, cinnamomi, balſamo ſulphuris, Elixire Peſtilentiali Crollij, balſamo Vegetabili Kerneri, vel alijs id genus oleaginoſis liquoribus ſive claris, ſive craſſis, animá auri extrahi putant & ejusmodi medicinis magnificos auri potabilis, Eſſentiæ, tincturæ & quintæ eſſentiæ auri titulos indunt, imò instar prothei & panaceæ cujusdam ad omnes morbos tum frigidos tũ calidos edomandos valere contendunt. Sed quũ talia pharmaca nihil de ſubſtantia, ſplendore, & virtute auri contineant, merumque titulum ſplendidum præ ſe ferant, ideoque vana eſt horum nugatorum oſtentatio & portentoſa fallaxque adulteratarum medicinarũ venditatio: Quippe ſalia, non olea cum auro, aurumque cum ſalibus, non oleis, virtutem & eſſentiam ſuam communicant: Id quod vera Chymiæ fundamenta evidenter oſtendunt. At quo conſilio tales Medicaſtri & PſeudoChymici ſuis remedijs hæc & alia ſpecioſa nomina imponant, nemo non facilè ſubodoratur, nimirùm ut imperitis rerum ſervisque abſurdarum opinionum imponant, aureis titulis plus auri acquirant, ſuisque cru-

me-

menis conſulant, ſibi majorem autoritatem concilient, Veris Medicis contemptum pariant & empiricam medicinam invehant. Quamvis autem ejusmodi aurum potabile potiùs contemni mereatur, quàm ut anxiè in id inquiratur & multis refutetur: Tamen quùm & apud nos iſte licentioſus per opinabile aurum potabile egregiè decipiendi homines invaleſcat mos, iccircò hoc ex animi ſententia [id quod fides officij, quo bono publico ex juramento obſtrictus ſum, à me exprimit] ſcribo, non eſſe fidendum ſplendidis medicamentorum inſcriptionibus, niſi eorum bonitas à Collegio expertorum Chymiatrorum deprehenſa & approbata ſit; pertinere quoque ad bonum magiſtratum, qui mortalium ſocietate & populorum ſalute nil habet antiquius, ut diligenter caveat, ne damnoſis hiſce impoſturis publicis rebus detrimentum importetur. Sed, ut oratio mea redeat illuc, unde deflexit, ajo, repetoque magiſterium auri, quod noſtra Confectio Alchermes recipit, bonitate, virtute, pretioque, nulli auro potabili, nulli tincturæ & quintæ eſſentiæ auri cedere. Quod verò & folia auri Con-

fectioni nostræ admisceantur, fit eò, ut non solum in oculis ægrorum splendescat, sed etiam solitâ suâ formâ decenter enitescat.

CAPUT XIX.

De facultatibus hujus Confectionis & methodo utendi eâ.

EX enumeratione & examine singulorum simplicium hactenùs in aliquot capitibus à nobis instituto nullus non medicinæ peritus perspicit, hanc Confectionem esse benedictum medicamentum, quod tàm ad conservandam sanitatem, quàm varia morborum genera sananda conferre possit. Etenim muniendo corpus ab accidentibus temperamentum, spiritus, caloremque nativum hominis corrumpentibus diu illúd vegetum & sanum tuebitur, si de hac confectione interdum aliquid assumatur. Atque si scopi isti, quos *Galenus libr. ultimo methodi med. cap.* 13 inculcat, βραχέως, ἀσφαλαίως καὶ ἡδέως h. e. citò, tutò & jucundè curandi in aliquo medicamento conjungi poterunt, certè in Confectione Alchermes locum invenient:

ent : Siquidem talibus constat simplicibus, quæ ceu divina quædam virgula, languentes vires reficere, syncopi, cordis palpitationi, insaniæ febricitantium & mœrori succurrere, tristitiam & mentis alienationem depellere, adeoq; ipsum calorem nativum, omnium laudabilium functionum effectorem roborare, & citò, tutò, jucundèque morbis varijs opitulari queunt. Et quum etiam remediorum jucunditas ab omni gentium cõditione expetatur, & Hippocrates cũ Galeno suos discipulos haud obscurè moneat, ut injucunda in arte medica pro viribus devitent, iccircò ob suavitatem suam etiam Confectio Alchermes maximoperè amplexanda est : Nam si paulò deteriori cibo, suaviori tamen, melior quidem, sed insuavior est præferendus. *Hippocrates 2 Aphorism: 38. Galenus libr. 2 de aliment: facultat: cap.* 25 : Quantò magis medicina hæc Alchermes melior & jucundior reliquis inamœni coloris, odoris & saporis remedijs erit præponenda ? Hinc sæpe fit, ut antidoti magnæ, Mithridaticum & Theriaca à fastidiosis ventriculis rejiciantur, hæc autem Confectio retineatur. Quemadmodùm e-

nim

nim Medicus non magnam apud ægros merebitur gratiam, quandò eos semper Confectione Hamech, speciebus hieræ, amarâ colocinthide, aloes diluto succoque absinthij onerabit; vel stibij, mercurij vitæ, ac turpethi mineralis usu nimio fatigabit: Ita contra sibi favorem ægrorum conciliabit, cùm non tantùm celeris operationis tutaque, sed & jucunda eligit medicamenta. Propterea isti præsertim, qui Archiatrorum, Proto Medicorumque, nomine gaudent, hanc utilem optabilemq; medendi rationem sibi habent commendatam: Illis enim non tàm cum vulgo, & è media plebe hominibus, quàm cum Principibus ad commoda, voluptates, dolorumque absentiam non minùs quàm ad virtutem & gubernationem natis, res est. Itaque quum in hac Confectione Alchermes nullus tristis saporis sensus deprehendatur, sed potiùs in ea jucunditas & gratia cum celeritate securitateque medendi certent, eò plures amatores hæc Confectio inveniet. Memorat *Galenus lib: de Antidot: & in commentar. ad Pisonem* de Romanis aliquot Imperatoribus (M. Aur. Antonino, Commodo Severo &c.) plurimisque principibus, quod Theria-

câ,

eâ, quâ se à lethifera venenorum noxa tutos præstiterunt, usi fuerint: Quia verò & hæc Confectio venenorum vim ob lapidum pretiosorum aurique magisteria toxicis adversantia frangere valet, digna quoque erit usu principum virorum: Efficacissima enim hæc Confectio multorum etiam Regum ac Reginarum in Gallia testimonio probata, maximè in quibus vel longo morbo fessis vel ab eo revalescentibus natura languit. *Sylvius in notis ad Mesuen de hac Confectione.* Nec metuendus est hujus Confectionis excedens calor, quoniam syrupo de pomis, aquâ & tincturâ rosarum, margaritarum & auri magisterijs ita est temperatus, ut vix secundum caloris gradum complere videatur. Dosis ejus est à scrupulo ad drachmam vel quatuor scrupolos. Quod si de ea circa intermenstruam vel plenam lunam ad scrupulum sumatur, tunc cerebri & cordis affectus à frigida causa, videlicet apoplexiam paralysin, epilepsiam, coma, syncopen, cordis palpitationem, aliosque morbos præcavebit. Potest autem vel cum pulpa pomi dulcis vel cum ficu, vel cum conserva vel saccharo rosarum mista com-

commode sumi. Sed cavendum est, ne nimia dosis Confectionis alchermes exhibeatur: Etenim moschus & ambra, quibus hæc medicina abundat, sæpe humores fundunt, unde in senibus catarrhi suffocativi & alij morbi queunt oriri. Virtus quoque ejus sese in moribundis & animi deliquiu incurrentibus evidenter exerit: Nam si ijs aliquid ad quantitatem jam dictam in aqua cordiali, borraginis, buglossæ &c. dissolutum porrigatur, cor instar ignis ab hac Confectione afficitur & roboratur, adeò ut id manifestè reficiatur, naturaque se recolligere videatur. Sic & illi, qui à longa invaletudine nonnihil respirare incipiunt, ab usu hujus Confectionis vires resumunt. *Crollius in Basilica* medicamentum specificum omnia septem membra principalia conservans proponit, cujus in desperatis morbis certum prædicat usum. De hac nostra Confectione idem affirmare licet: Quippe *cor* ob omnia ingredientia; *cerebrum* ob moschum, ambram & essentiam ligni aloes; *hepar* ob magisterium Coralliorum & auri; *ventriculum* ob essentiam cinnamomi, agallochi, ambræ & magist. Coral-

rallior; *pulmones* ob magiſterium unionum; *lienem* ob lapidem lazuli; *renes* ob magiſterium lapidum pretioſorum, atque ſic ſeptem membra principalia tuetur & corroborat. Nobilis Anwaldus pulverem quendam ex cinnabari factitiâ, croco, & concha margaritifera confectum pro panacea jactitavit, eumque in omnibus graviſſimis morbis exhibere non dubitavit, ſicut *Crollius in Baſilica, Libavius lib.* 1 *Comment. metallic. pag.* 46 *libr.* 2 *Epiſtol: Chymic. pag:* 611. *libr.* 1. *ſyntagm. Alchym. pag.* 135 & *libr.* 3 *ejuſdem pag.* 14 referunt: Certè longe meliore titulo ſibi nomen hoc Confectio noſtra vendicare poterit, eò quod omnibus membris principalibꝰ ſtudeat. Quocirca ſicut non negamus in plerisque morbis hæc tria ſanitatis recuperandæ inſtrumenta, Diætam, Phlebotomiam & Pharmaciam non eſſe negligenda, quibus natura ſæpius eſt debilitanda, antequam à morbo plenè liberari poterit: Ita quoq́; certum eſt, Medicum hac Confectione varijs morbis mederi poſſe, cujus rei formulas aliquot ſub concluſionē hujꝰ Diſſertationis ſubjungam, easq́; mediæ ætatis hominibus accommodabo *ſ.* Ad ſedandum igitur paroxyſmum epilepti-

lepticum, vertiginem & catalepsiam, da Confectionis alchermes scrupul. ij cum aqua lilior. convall. florum tiliæ ana unc. j. aq. hyrundin. cum castor: drach. ij. dilutam. Quum enim Epileptici propter graves odores cerebri membranas agitantes motus convulsivos incurrant, ideoque odorata ijs conferunt: Imò si Epilepsia sit uteri morbo conjuncta, convenit Confectio Alchermes, quæ spiritus animales reficit, & cerebri vires gratâ ac fragrante exhalatione redintegrat, ut postmodùm spiritum adversus violentiam Epilepsiæ insurgentes eam eò faciliùs superare queant: Unde & *D. Gregor. Horstius lib.* 1 *part.* 2 *Observat: de morbis mulierum pag.* 50. diversis verbis se ambram in ejusmodi hysterica passione cum fructu dedisse affirmat: In quo casu etiam *Barthol: Montagnan: consil:* 226 *pag: mihi* 890. pilulas de moscho commendat; simileque exemplum *Hœchstetterus, Physicus Augustan: decad:* 4 *Observat. pag.* 80. affert. Quando verò fœmina matricis suffocatione duntaxat vexatur, tunc ab hac alijsque odoratis erit abstinendum: Quia odores suâ naturâ caput percellunt, teste *Hippocrate libr.* 5 *Aphorism.*

rism. 28 : Hinc ſtatim uterus in conſenſum trahitur, mulieresque epilepſiam, delirium, imò ipſam mortem præter ſpem, vapore ſcilicet maligno excitato, diffuſo & cor obruente incurrere poſſunt. Proindè illis magis res fœtidæ, & amaræ quàm odoratæ ſunt exhibendæ. Quibus autem mulieribus uterus quietus eſt, illis hæc Confectio nequit obeſſe : Nam apoplexiam præcavet, ſcotomiam propulſat, catochen & ſoporiferos affectus tollit : Quod ſi huic Confectioni aliquid de Antidotis magnis adjicitur, quæ ſubamaræ ſunt, eò minùs fœminis nocere poterit. In cephalalgia & febrib⁹ continuis etiam hæc confectio parcè eſt uſurpanda, quia vaporoſa eſt & caput facilè replet.

In febribus malignis cum acidis rectè temperatur : E.g: Rec. cordialis Herc. Saxon. Chyloſtagmat. Minden an. drach. 6 Acet. theriacal: vel ſucci citri Syrup. de ſcordio an. unc. ſemis, diluantur in ijs Confecti alchermes ſcrup. ij miſc. qui volet, is aliquid de magnis antidotis Matthioli vel Andromachi vel Mithridat: addat. Corde laborante talis potio propinetur : Aq: borragin. buglos. Julep roſa-

rosarum, Syrup. acetosit. Citr: an. unc. semis Aq: Carbunc. drach. 2. Confecti alcherm. scrup. ij Magist: margarit. orient. scrup. semis misc. Si quis de hausto veneno suspicetur, hanc potionem assumat: Rec: Aq: acetosæ, portulacæ, scabiosæ, syrup. acetosit. citri ex succo acetosæ an. unc. semis Confecti alchermes sesquidrachm. pulv. Crystall: præparat. scrup. j misc. & ebibatur: Sic ab veneno vix damnum sentiet, præsertim si venenum fuerit sublimatus Mercurius vel arsenicum vel auripigmentum. Ad cerebrum roborandum sequens Electuarium utiliter parari poterit: Rec: conserv: rosar: rubrarum unc. ij Confect. alcherm. drach. j. Essent. ambr. succini albi an. scrup. semis. magister. margarit. Oriental. ungul. alcis an. scrup. j. cum syrup. de rubo idæo q. s. redigantur in formam Electuarij, de quo mane ad magnitudinē nucis castaneæ capiatur. Morsuli etiam inde adornari queunt: Rec: Confecti alchermes scrup. 4. Sach. albissimi unc. 3. in aq. Cinnamomi q. s. dissolut: fiant Morsuli sex. Vel hoc modo: Conserv: rosar: rubror. unc. j Confecti alchermes drach. j. Sacch. albissimi unc. 4

in

in aq. rosar: q: s. dissolut. fiant Morsuli numero octo. Dosis est Morsulus unus vel alter. Pulvis stomachicus & cordialis sequens est, qui Diachermes potest vocari: Rec: Confecti alchermes sine lapide lazuli, pulvi Corall: rubr: præpar. an. drach. j. Confect: manus Chr. cum perlis vel sacch. candi albiss. drach. 6 aut q. s. ad solidam pulveris formam. Dosis est sesquidrachma in jusculo vel vino vel aquâ destillata: Cacostomachus utilis est. Sequens valentior est: Rec: Confect: alcherm. drach. 2 Ol: stillat. Cinnamom. Caryophyllor. an. gut. vij Citri gut. vj resin. ligni aloes gran. vj resin. santal: rubr: gr. 4. rhodosacchari perbat. sesquiunc. Musc. fiat: pulvis. Dosis drach. j. Si vis mederi melancholico vigilanti, dato ei hanc potionem: Rec. Aq: bugloss. violar. lactuc. Syrup. violar. flor. papav. erratici am. unc. semis Confect. alchermes scrup. j misce: Cerebrum namque roborando & humectando somnum inducet. Si verò hæc parùm contulerit, tria vel quatuor grana laudani opiati poteris admiscere. In melancholia hypochondriaca curandà hæc confectio conservis ac conditis uti-

liter

liter additur : E. g. Rec: Conserv. fl. rosar. rubr. anthos, majoranæ, melissæ, borraginis an. unc. j Condit. carnis & cortic. Citri. an. drach. ij Confectio alchermes drach. ſ. Magister. margarit. Oriental. Caryophyllor. macis an. scrup. j cum syrupo flor. tunicæ q. ſ. fiat Electuarium, de quo mane ad magnitudinem nucis juglandis sumi potest. Exteriùs etiam pro Epithemate cordis ac pulsuum hanc Confectionem adhibebis sequente vel aliâ formulâ : Rec: Aq: rosar. fragrantis unc. 3 meliss. unc. 2 fl. borragin. nympheæ an. unc. j aceti rosacei drach. 6. Confect. alcherm. scrup. 4. Croci Oriental. scrup. semis, caphur. gran. 5. misce. Insuper aqua efficacissima intrinsecus & extrinsecus exhibenda in cordis & cerebri imbecillitate additione nostræ Confectionis quit destillari. Recipe enim radi bugloss. borragin. an. sesquiunc. pæoniæ, Cort. citri an. unc. ij rorismar. majorá. meliss. an. Man. j. flor. borrag. bugloss. stœchad. Arab. an. unc. ſ. sem. basilicon. Croci, Cinnamó. Caryophyll. an. drach. j affunde aq. borragin. bugloss. an. unc. iiij Vini Rhenani lib. ij, inde in cucurbitam vitream, alem-

alembico duas drachmas Confection. al-
chermes linteo inclusas impone & per
balneum Mar. destilla. Ad vires inbecillas
in affectibus pulmonum cùm materia fri-
gida est, & calor languidus hanc potionem
Rondeletius de medicamentis internis pag. 954
commendat: Rec. Confect. alchermes
scrup. j. spec. diatragacanth. frigid. drach.
j. Aq: violar. buglosſ. an. unc. ſ. Syrup.
violar. unc. j. Si placet, adde quoq; essent.
Croci gr. v. Misce. Corroborat, lenit &
materiam è pectore per os & sputum edu-
cit. Quum etiam volueris consulere ema-
ciato, viribus fracto vel ex morbo vel ex
nimio veneris usu, dato ei per aliquod
tempus confectionem alchermes sine la-
pide cœruleo in vino meraciore vel in
jusculo carnium gallinæ vel vituli, aut
vervecis, aut pulli: Vel si hecticum ali-
quem calorem subesse colligis, propinato
ei in haustu lactis mulieris, vel asinæ, vel
caprini. Juvat etiam frigidos & ad vene-
rem segnes, ubi essentia satyrionis Crollij
adjici potest. In diarrhœa, dyssenteria vel
nimio hæmorrhoidum fluxu porrigitur
Confectio alchermes sine lapide lazuli, ut
& monet *Platerus in Observatio. medic. p.*
820 *& seq.* e.g. Rec. Aq. plantagin. Cor-
dial. Herc. Sax. an. unc. j. Confect. alcherm.

ſcrup. ij. Miv. Cydonior. unc. ſemis miſce. Pro qualitate morbi etiã ſpecies diarrhodon Abbat, diatrion ſantalon & ſpec. aromatici roſati adjungi queunt. Mulieri in partus difficultate conſtitutæ ſalubriter porriguntur ſcrupuli duo hujus Confectionis vel in hauſtu vini generoſi vel aqua liliorum alborum & cinnamomi, & alleviabitur. *Lobelius & Pena in Obſervation. plantarum pag.* 236 hanc potionem collaudant: Rec: Confect. alchermes, pulv. ad facilitandum partum an. iij borracis, trochiſc. de myrrha an. drach. ſ. pulv. caſtorei ſcrup. j. cum aqua bugloſſæ & artemiſiæ vel vino albo detur. Exhibui etiam ſequentem potionem in difficili partitudinis niſu non ſine fructu. Rec. Aq: lilior. albor. verben. an. unc. j. Cinnamomi, Syrup. acetoſit. citri an. drach. ij. Confect. alcherm. ſcrup. ij borrac. venet ſcrup. j. Ol. ſtillat: Cinnamomi gut. ij. Tincturæ Croci ſcrup. ſem. Miſc. Si quoq; jecur, aliave membra naturalia per hæmorrhoidum fluxum vel aliud ſymptoma debilitata fuerint, tunc Confectio Alchermes ſine lapide Cyaneo cum ſpecieb. diarrhodon Abbatis vel diatrion ſantalon & arromatici roſati miſceri ac ſalubriter ad ea firmanda & calefacienda propina-

pinari poterit. Quin etiam Oleum Vulnerarium compositũ ex Confectione Alchermes hoc modo confit: Rec: Ol: olivarũ, rosati, terebinthinæ an. lib. ſ. Vermium terrestrium cum vino lotorum sesquiunc. Vini Rhenani Cyathum unum; flor. anthos, millefolij, hyperici, centaurij minoris, betonicæ, matrisylvæ, rubiæ tinctorum an. M. ſ. Caudæ equinæ p. ij rad: glycyrrhizæ aliquantulùm tritarũ drach. 6 Mastiches drach. 10. omnia invicem misceantur & bulliant usq; ad consumptionem vini: Deindè fortiter colentur, & colaturæ addantur flor. & sem. hyperici an. M. j Confect. alchermes, rubiæ tinctorum an. unc. sem. Ol. Olivarum unc. iij Misc. & simul bulliant unicâ ebullitione; Postea in vase vitreo optimè obturato omnia asserventur, & mense Majo calori solis per 14 dies exponantur. Vide *Vigonis Chirurgiam lib. 7 de materia simplicium pag. 602.* Istud oleum sanat ulcera magna, dolorem vulnerum nervorũ potenter mitigat, nervos etiã incisos pedetentim desiccando & carnem cogendo consolidat.

Extremò quilibet Medicus exercitatus ex hac Confectione varias formulas diversis indicationibus deservientes for-

mare poterit, quarum aliquot sub conclusionem hujus capitis ob inexercitatos proponam. Quod si *Confectionem Alchermes amaram* expetis, unciæ hujus drachmam unam specier. hieræ picræ Galeni adjice: In hystericis affectib⁹ etiam aliquid feculæ bryoniæ & pulveris castorei rectè additur. Si purgantibus eam vis applicare, tunc ejusmodi *Catharticum Catholicum* componere licet: Rec. Pulv. violar. purpuream recent. ℥ß folisennæ succulent. Resin. scammonij, radi gialapæ; Cremor. tartari Mannæ purificatæ an. drach. ij Resin. agarici, pulv. radic. mechoac. albæ an. drach. j. Confecti alchermes cum lapide lazuli q. f. ad formandos trochiscos, quorum dosis à semidrachma ad drachmam unam. *Confectio Emetica* sequens est: Rec: Confect. alchermes liquidæ scrup. j solidæ scrup. sem. Croci metallorum vel Mercurij vitæ gran. iiij, vel Vitrioli Vomitivi scrupul. j. Misce. *Confectio hydragoga* est: R. Confecti alchermes liquidæ scrup. j. Extract. gratiolæ, vel resin. gummi de Peru scrup. semis, Misce & pro una dosi exhibe. *Confectio Cholagoga*: Rec. Confect. alchermes liquidæ cum lapide scrup. j Resin: scammonij gr. viij Extract: rhabarbari gr. iiij Misce. *Confectio Phlegmagoga*: Rec: Con-

fecti alchermes ſcrup. j Extract: diacarthami Noribergenſis ſemidrachm. Reſin. agarici gr. vj Miſce. *Confectio Melanagoga*: Rec: Confecti alchermes cum lapide lazuli ſcrup. j. Extract: melanagogi Quercetani ſemidrachm lapidi lazuli præparat: Extr: helleb: nigri an. gr. v. Miſce & diſue in conveniente vehiculo. *Confectio Alchermes Diaphoretica*: Rec: Confectionis Alchermes liquidæ, dulcis vel amaræ drach. ſem. pulv. lapid. bezoar Orientalis gr. v. Unicornu gr. iij auri diaphoretici ante deſcripti gr. ij, miſce & dilue in aqua ſudorifera. *Confectio Alchermes Diuretica*: Rec; Confect: alchermes vel in humida vel ſicca forma ſcrup j Ms pulver. Oculi Cancri, ſuccini albi an. gr. viij ſalis tartari Vitriolati gr. iiij permiſce cum ſyrupis ac aquis deſtillatis convenientib⁹ & propina. *Confectio aſtringens & dolorem leniens*: Rec: Confect: alchermes liquidæ vel ſolidæ ſine lapide lazuli ſcrup. j Laudami opiati gr. ij, dato in aqua Cordiali. Herc. Saxoniæ. Tantū de noſtra Confectione Alchermes cum formulis diverſorum remediorum, quæ eam recipiunt, & fortaſſe plus ſatis. DEUS honeſtos noſtros conatus promoveat, noſq; vaſa ſuæ miſericordiæ & organa Reipubl. ſalutaria ad ſui nominis honorem ac gloriam proximique ſalutem efficiat. Amen.

Laus in Excelſis DEO.

APPENDIX
continens
Judicium Excellentisſimorum quorundam Medicorum de hac noſtra Confectione Alchermes

Ex literis Dn. D. Danielis Sennerti, primarij Medicinæ Profeſſoris VVittebergenſis de die 10 Januarij A. C. 1635

PLacet jam omninò Confectio Alchermes & nullo modo jam vel colore vel ſapore cedit Monſpelienſi : In reliquis verò, quæ admiſcentur, etiam ſuperat.

Ex Epiſtola Dn: Jacobi Duvallij, Medic: D. & Medici Pariſienſis, die 28 Octobris Anno Æ. C. 1634 Lutetiæ data.

NOn ex alijs tantùm mihi virtus tua, Vir Clariſſime, innotuit, ſed etiam ex te ipſo te cognovi, dico ex tuo libello, qui tam gratum ſpargit eruditionis odorem, quam ipſa Confectio Alchermes gratiâ ſuâ mores ferit. Macte Vir Præſtantisſime, ſic medicam artem mirabili arte juvare, ſic te poſteritati, ſic hujus ævi hominibus commendare. &c.

Ex literis Dn: Chriſtiani Schmilow/Medicinæ Doctoris Roſtochienſis Calendis Junjis An. C. 1634 ad me perſcriptis.

De

DE Confectione Alchermes, quâ industria tua locupletavit rem medicam, cõmodumq; ægrorum, non habeo, quod rescribam, nisi quod mihi valde probetur: Ago tibi gratias tum publico, tum nomine meo, quodq; illius medicamenti, cujus in puerulo experimentum felix habui, participem esse volueris, de quo forsan aliàs plura.

Ex epistolio Dn: Andreæ Hiltebrandt Medicinæ Doctoris & Poliatri Stetinensis, die 24 April. An: C. 1634 exarato.

LAudo elegans propositum tuum & in excolendo studio medico industriam summam. Ego nobile medicamentum istud, datâ occasione ægrotis meis præscribere deq; meliori nota commendare non desinam.

Sphalmata typographica graviora Lector benevolus ita quæso corrigat.

PAg: 5, lin. 22 *ampliârunt*. p. 9 lin. 15. *annectere*. pag. 10, lin. 22 *dum* redundat. pag. 11, lin. 24 *foliorum*. pag. 14, in. 18. *Bauhino*. pag. 18, lin. 22 *Renealmus*. pag. 28, lin. 13 *nobis*. pag. 29, lin. 12 *eam*. pag. 33, lin. 19. *parant*. pag. 36, lin. ultimâ

Xylo-

Xyloaloes. pag. 38, lin. 8 *condis*. pag. 49, lin. 12 omitte *tradidit*. pag. 50, lin. 18 *onustæ*. pag. 35, lin. 18 *cassia*. pag. 58, lin. 9 *suum*. pag. 65, lin 23 *unà cum succino*. pag. 70, lin. 3 *solida*.

Reliqua errata B. L. pro sua humanitate & peritia emendet, eaq; absenti Autori imputet rogo.

FINIS.